

THOMÆ BARTHOLINI

CASP. F.

DE CRVCE CHRISTI

Hypomnemata IV.

I. De Sedili Medio.
II. De Vino Myrrhato.
III. De Corona spinea.
IV. De sudore sanguineo.


OPTIMI CONSVLTORES MORTVI

AMSTELODAMI,
Sumptibus ANDREÆ FRISII.
M. DC. LXX.

LECTORI AMICO. S.

PAuci effluxerunt anni ex quo publicam lucem adſpexit Diſſertatio noſtra De *Latere Chriſti aperto*, cum Reſponſis Virorum de re literaria optimè meritorum, inprimis *Cl. Salmaſii*, qui more ſuo, hoc eſt, eruditiſſimè pleno calamo & diſerto crucis quaſdam difficultates ſub manum natas mihi expedivit. Rem confectam credidi tantorum Amicorum applauſu. Sed ne nimium mihi indulgerem, relicti videbantur

haud pauci in cruce ſcrupuli, quos hîc eximere aliud quaſi agens fui conatus. Jeſus meus, crucis candidatus, ubique mihi & ſemper præſens, laboribus his, quanquam aliud ſaxum volverem & in Anatomicis omnis mea occuparetur opera, clementer adſpiravit, ut quæ de ſedili medio, Vini Myrrhati conditione, coronæ ſpineæ genere & ſanguinei ſudoris natura reſtabant explicanda, brevibus abſolverim. An omnibus ex aſſe ſint placitura, non valdè laboro, quia

nec Jupiter cunctis placet. Mihi ad gloriam ſatis erit, cruci ſanctæ pro viribus inſudaſſe. Laudavit ſcriptas à me paginas *Salmaſius*, & album nugis meis calculum Vir ſine pari addidit. Gratulor urbi noſtræ & æternitatem auguror, quòd tantum nuper hoſpitem exceperit, in quem omnis eruditio juncto ſtudio migravit. Quod ſi longiorem præſentiam, & diuturnam tanti ſideris moram non invidiſſet nobis neceſſaria properati itineris ratio, jam

cum cœlis contenderemus. Quum veloci oculo Hypomnemeta percurreret ſub prælo jam ferventia, ſubacto ejus judicio pleraque videbantur placere, nec à ſignatis lineis diverſum ſentiebat. Diſſenſum tamen planè amicum in nonnullis profitebatur. Putabat enim Vir ſummus ab omni antiquitate & veritate alienam eſſe Chriſti Servatoris pulcherrimam faciem & juſtam ſtaturam adeò mihi commendatam, & quanquam *Nicephori* me auctoritate munirem,

rem, antiquiorum ille Patrum teſtimoniis evicit deformem Chriſti vultum, numiſmatis quoque vetuſtis expreſſum. Nec aliter fieri potuiſſe, quia ſervili habitu & condicione contumeliis mortalium erat exponendus, hincque Herodi, deſiderio videndi ejus antea flagrantiſſimo, ludibrium debuiſſe. Quod autem pulcherrimus dicatur præ filiis hominum, de animi explicandum, non corporis decore. De Corona ſpinea mihi largiri neſciebat,

cum cœlis contenderemus. Quum veloci oculo Hypomnemeta percurreret ſub prælo jam ferventia, ſubacto ejus judicio pleraque videbantur placere, nec à ſignatis lineis diverſum ſentiebat. Diſſenſum tamen planè amicum in nonnullis profitebatur. Putabat enim Vir ſummus ab omni antiquitate & veritate alienam eſſe Chriſti Servatoris pulcherrimam faciem & juſtam ſtaturam adeò mihi commendatam, & quanquam *Nicephori* me auctoritate munirem,

rem, antiquiorum ille Patrum teſtimoniis evicit deformem Chriſti vultum, numiſmatis quoque vetuſtis expreſſum. Nec aliter fieri potuiſſe, quia ſervili habitu & condicione contumeliis mortalium erat exponendus, hincque Herodi, deſiderio videndi ejus antea flagrantiſſimo, ludibrium debuiſſe. Quod autem pulcherrimus dicatur præ filiis hominum, de animi explicandum, non corporis decore. De Corona ſpinea mihi largiri neſciebat,

ut Regium insigne Christo impositam, quippe diademata Regium olim caput cinxisse, neutiquam coronas, Sacerdotibus proprias aut victoribus. Libenter & ex debito tanti Viri censuræ & eruditioni assurrexi, cui sciebam in literas omnes imperium deferre. Quanquam enim speciosumChristi habitum mihi habeam persuasissimum,quòd Matre virgine & Deo Patre sit genitus, splendidaque forma tot animi corporisque passionibus martyrii tempore ob-

obſcurari potuerit velut inductâ nube; tamen huic Viro omnia ſoli conceſſerim, quem non memini unquam ſine ratione loquutum. In ſpinea corona ſpinæ plures & difficultates occurrunt. Enimverò inter Regia inſignia videntur uno ore ſacri vates *Matthæus*, *Marcus*, & *Joannes* numeraſſe, quum impii milites impoſitâ capiti coronâ, corpori chlamyde coccineâ, manibus arundine loco ſceptri, & genubus flexis vulgata acclamatione Chriſtum *Regem Iudæorum* ſalutârent.

rent. Paſſim quoque coronatorum Regum extant veſtigia, inprimis apud *Zonaram* & *Halicarnaſſæum*, quorum ille te *Tarquinio*, auream coronam narrat geſtaſſe cum manu teneret ſceptrum & ſederet eburnea ſede; hic verò *Brutum* libertatis auctorem Regibus expulſis, inſignia Regum, ſceptra nempe, & auras coronas, ſi quæ in illis, ut nimia, invidioſa eſſent, partim minuenda, partim auferenda, in publica concione inducit perorantem. Cæterum quando

do quidem cum diademate, coronæ reciproco usu sæpissimè apud antiquos confundantur ob formæ circularis & subjecti, non materiæ aut veræ formæ, similitudinem, nec satis compertum sit quando inter Regia insignia coronæ nostrates esse cœperint, & diadematis substitutæ, hæc aliaque hujus argumenti momenta ad Multiscii *Salmasii* calamum relegamus, quem nobis promisit laribus suis redditus. Deus ingens hoc terris depo-

ſitum in itinere ducat, & publico bono diu aſſerat. De vini Myrrhati explicatione, non eſt quod dubites. Aut ſic fel accipiendum, aut valdè velim falli. In quam rem diſſerit *Lactantius* De vera ſapientia c.XXVI: *Aceti potus, ac fellis cibus, acerbitates & amaritudines in hac vita ſectatoribus veritatis pollicebatur. Et quanquam paßio ipſa per ſe acerba & amara, ſpecimen nobis futurorum tormentorum dabat, quæ morantibus in hoc ſeculo, virtus ipſa proponit: tamen illiuſmodi potus & cibus in os*

Doctoris nostri veniens, pressurarum nobis ac laborum & miseriarum præbebat exemplum. Nec me terrent Abyssini, quia & gulæ nostræ vinum absinthio & Zythum lupulo temperata subinde ad delicias eligunt. Rectè quippe Eloquentiæ Parens, in naturis hominum dissimilitudines esse monet, ut alios dulcia, alios subamara delectent. Quicquid sit, mi Lector vale, & pia sanctæ crucis meditatione, ad immortalitatis præmia per Christum adspira.

ſitum in itinere ducat, & publico bono diu afferat. De vini Myrrhati explicatione, non eſt quod dubites. Aut ſic fel accipiendum, aut valdè velim falli. In quam rem diſſerit *Lactantius* De vera ſapientia c.XXVI: *Aceti potus, ac fellis cibus, acerbitates & amaritudines in hac vita ſectatoribus veritatis pollicebatur. Et quanquam paßio ipſa per ſe acerba & amara, ſpecimen nobis futurorum tormentorum dabat, quæ morantibus in hoc ſeculo, virtus ipſa proponit: tamen illiuſmodi potus & cibus in os*

Docto-

Doctoris nostri veniens, pressurarum nobis ac laborum & miseriarum præbebat exemplum. Nec me terrent Abyssini, quia & gulæ nostræ vinum absinthio & Zythum lupulo temperata subinde ad delicias eligunt. Rectè quippe Eloquentiæ Parens, in naturis hominum dissimilitudines esse monet, ut alios dulcia, alios subamara delectent. Quicquid sit, mi Lector vale, & pia sanctæ crucis meditatione, ad immortalitatis præmia per Christum adspira.

INDEX CAPITUM.

Hypomnema I.

De Sedili Medio.

Hypomnema II.

De Vino Myrrhato.

Hy-

Hypomnema III.

De Corona Christi Spinea.

Hypomnêma IV.

De Sudore Christi sanguineo.

THO-

THOMÆ BARTHOLINI

CASP. F.

DE CRUCE

Hypomnema I.

De

SEDILI MEDIO.

§. *I. Occaſio ſcribendi.*


PLacuerunt non uno nomine, quæ ad Diſſertationem noſtram de *Latere Chriſti* candidè nuper & pro ingenii modulo, *Bartoldus Nihuſius* Canonicus Moguntinus repoſuit. Laudo quod in ſe contradicendi ſuſceperit partes. Nunquam enim mihi promittere potui, quæ curſorio calamo chartis ſolebam illinere, omnia cunctorum placitura ſuffragiis. Quod quâ ſperaverim fiduciâ, teſtes erunt, qui me norunt, ami-

amici. Tantum mihi indulsi quantum solent qui funem in aëre calcant. Stant illi fide spectatorum. Et ego cunctorum expositus oculis, cur refugerem judicia? Judicandi sibi libertatem sumant quibus volupe, modò non rumpant malo astu filum quod tangere nequeunt. Curamus qui invidioso scribendi onere premimur, non ut nos à conspectu censorum subducamus, sed ut in aprico positis invideant viventes, applaudant futuri. Illud sanè invito hactenus conatu sum assequutus, ut invideant plures quàm ament. Nulla ex pluteis meis prodiit pagina, quin nigris creverit umbilicis. Adeò præsentes, quam jactant, oderunt virtutem, & ne alii sapiant, ipsi delirare malunt quàm aliquid ad seculi patriæque decus conaturos laudare. Fateor ingenuè, centies me literarum cepisse tædium, quia video ea facta esse inimicorum retia, quæ honesti erant animi instrumenta. Æquiori animo aliorum ferrem invidiam, si vel ego invidia forem

rem dignus, vel illi invidiæ nomen non corrumperent. Ad odium deflectunt qui diu invident, & ea demum de nobis fingunt quæ volunt credi, ut sola illorum confessione præsumpti, nunquam probatis erroribus, damnemur. Generosæ tamen mentis est hæc despicere ingeniorum portenta, nec nimio tristitiæ sensu affici, si vel malos laudent mali, vel bonis clanculum obloquantur. Omnis in posteritate spes est, quam nobis propitiam majorum spondent exempla. Non hæc tui causa dixi, mi *Nihusi*, ne erres, quem æquiorem mihi animadverto. Sunt alii, in libris meis ingeniosi, domi latitantes, vixque extra viciniam noti, quos ipse Titan infestiore vultu, quàm Cerberum viderit. Nolim nimium me pungant ne læsa patientia mores reddat infestos. Semper hic calamus nobis votum spopondit. Quod per te sciant quicunque furtivis calumniis in nomen nostrum grassantur. Te verò quod nostra Schediasmata accuratius perlegeris, perle-

perlecta candidius examinaveris, examinata ipse cum literulis transmiseris, amo multùm, modò speciosis integri Viri non fallas titulis. Miror autem, quod exiles aliquot nodos nolueris inter nos potius discerpi, quàm omnium spectantium oculis publicè committi. Poterant ea intra parietes nostros transigi, quum invitus ad hoc respondendi genus descendam. Nec divinare queo, cur pauca illa à te extorserit amicus anonymus. An quia nomen tuum subinde Lectori fit in Dissertatione obvium? Ita narras. Ipse videris quo animo. Adeóne pruriente es sensu, ut nomen tuum nusquam legi, quin ad censuram vocari te credas? Nimium tibi blandiris. Res mali profecto exempli, si te sequantur plures. Actum mecum esset, si inimicam frontem mihi obverterent quos nominare sive amicitiæ causa, sive ob publicam famam in hoc aliisque operibus fui ausus. Amicè cum manibus plurimorum transigerem, si, quæ te
cau-

causa, cæteros permoveret ad scribendum. Justiorem Apologiæ condendæ habuisses causam, si, qui mos aliorum, nomen tuum malè pictis advocassem titulis. Quam hoc à modestia mea sit alienum testabitur genius alibi observatus, testabuntur vicini qui me placido gressu exeuntem ingredientemque quotidie conspiciunt. Illam quippe legem ubique mihi posui, ut amicos operibus editis venarer, non adversarios, quos sponte sua emergere expertus sum non semel. Nec velim suspiceris eo me animo ad responsionem hanc accingi ut te vel irritem vel offendam. Nolo tanto inimicitias labore mercari, neutiquam nescius quid humanis dandum sit moribus. Mutuum tibi colloquium debui, quia id velle te, non fallaci augurio omninabar. Nulla tamen, quamquam id imponeres necessitatis, inter nos voluntatum erit dissensio. Nam credere desij, aulicorum studio nos præstare, si discrepemus. Exigui sunt



ſunt momenti quæ mihi noçitura opposuisti. Ad ea tamen breviſſimo orationis contextu reſpondebo quantum furtiva occaſione per ocium licuerit. Idque nulla interpoſita mora expediam, memor *Ulpian.* ſententiæ D. de Verb. ſign. L. 12. §. 1. *Minus ſolvit, qui tardius ſolvit; nam & tempore minus ſolvitur.* Nota aurea magni auctoris ſententia: *Barbaris cunctatio ſervilis, ſtatim exequi regium.* Tacitè omnia devoraſſem, niſi ex quiſquiliis aliquid dandum foret invidis, qui ſilentium meum, non de civili, ut olim de ſuo crediderat *Tiberius* apud *Tacit.* L. VI. Annal. ſed in ſuperbiam vel ignorantiam accepturi eſſent. Solabitur verò me in hoc conflictu veritas, quam juxta mecum tibi propoſuiſti. Utinam verò vultu & cordata manu. Pauciſſimis illa cordi, quibus propter veritatem lites magis placent quàm veritas, quique dum de veritate diſputant & fallunt ipſi & falluntur. Sed ad rem & veritatem, non ſatis tibi obeſæ, ut videtur,

tur, naris ex Dissertatione mea intellectam.

§. II. *De Inventione Crucis.*

INitio ad computum Ecclesiasticum me vocas, malè me calculum subduxisse ratus in ævo *Gregorii Turonensis*, quem Helenæ seculo floruisse dixi, & interfuisse sanctæ crucis inventioni seculis duobus priori. Credisne adeò me bardum & stupidum, ut res duobus seculis dissitas conjungam. Floruisse *Gregorium Turonensem*, in Gallia Episcopum, sub *Mauritio* Imperatore & S. *Gregorio* Papa non ignorabam. Seriem hanc Chronologicam non ex tuo Anticritico, sed olim mihi familiaribus historicis temporum perceperam. Lectus insuper mihi non simplici vice fuerat *Bellarminus* de Scriptoribus Ecclesiasticis, justo ordine ad Annum Christi 596. S. Gregorium Turonicum referens, ne *Calvisium*, *Helvicum*, *Petavium* aliosque hujus comma-

commatis nominem, quos ante & videram & sæpius inspexeram quàm quid *Nihusius* esset scirem, vel Anticriticus ejus ex molina prodiisset unquam. Non intenderam Turonicum Episcopum cum Helenæ temporibus conjungere, sed in illorum gratiam per jocum risumque in lunula (seu parenthesi) diversissimos copulavi qui Turonici auctoritati tantum fidunt quasi præsens ipse inventæ Helena vivente cruci interfuisset. Et si verum tibi fateri debeam ad marginem autographi mei annotaveram, ut audaciam tuam notarem dè Cruce Helenæ affirmantem pag. 4. Anticritici, etiam Turonici tempore conspectui undique accurrentis populi monstratam. Unde nihil hujus falsi computi invenies in prima hujus Capitis editione, quæ Patavii prodiit, quum nondum Anticriticum tuum inspexissem. Inventionem autem Crucis duobus seculis Turonico fuisse antiquiorem quo modo potui ignorare, si quidem illam
ad

ad Constantini Magni æram paulo ante quam Helena annos LXXX. nata è vivis excderet, referant noti mihi *Sulpicius Severus* Lib. II. hist. Sacr. & *Theodoretus* Lib. I. hist. Eccl. c. XVIII. aliique longa serie non trahendi. Ubi tibi ingens incumbit onus utriusque horum conciliare fidem, si vera illa inventio crucis à te allata sed â multiscio *Salmasio* ut dubiæ veritatis suspecta. Agnitam crucem Dominicam *Severus* tradit, quum recens quidam mortuus cruci illi affixus funus suum excuteret interque spectatores suos astaret. Cui narrationi consonat æqualis illius & amicus *S. Paulinus* Nolanus quarti pariter seculi Doctor, ad Sulpicium. *Theodoretus* verò narrat, *B. Macarij* Præsulis urbis Sanctæ precibus factum, ut simulac mulieris primariæ diuturno morbo detentæ [sed adhuc inter vivos merentis] corpus crux contigisset, gravis mox depelleretur morbus, pristina redeunte valetudine. Huic accedit

Alexander Monachus, quem latinè loqũentem *Schottus* fecit, ediditque ex Bibliotheca Bavarica *Gretzerus*, de de matrona ferè ſpiritum exhalante, à ſola crucis umbra ſanata. Confirmat Chronicon *Georgii Hamartoli*. *Ruffinus* L. I. hiſt. Eccl. c. VIII. ſemivivam vocat. *Socrates* L. I. c. XIII. ad ipſa mortis limina proceſſiſſe. *Sozomenus* cap. I. L. II. immedicabili morbo laboraſſe, & morti imminuiſſe admotis aliis duabus crucibus, ad Chriſti autem crucem oculos aperuiſſe. Hic tamen candidè fatetur, famam tum tuliſſe, mortuum quoque eodem modo revixiſſe. Verum enim verò majus huic ſubeſt miraculum reliquis neutiquam ſilendum auctoribus, qui de ægrota femina adeò laborarunt. *Nicephorus* ſanè L. VIII. c. XXIX. *dicunt*, inquit, *mortuo crucem impoſitam*, quod pro verò recenſet *Leo* Imperator ad Umarum Sarracenorum Regem t. III. *Bibl. Patr.* qui id inſuper aſpergit, Judæo Viro per traditionem ccc. annorum

locum

locum crucis edocto per cruciatum extorsisse S. Helenam. Ab omnibus his abiens *S. Ambrosius* in Orat. de Obitu Theodosii, solo titulo agnitam crucem profitetur. Quam mereatur diversa adeò narratio fidem, ipse apud te delibera, quando quidem rigidus Helenæ temporum es exactor. Nimium accuratè fingis in ætate Turonici quæ nusquam extant nisi ubi pinxisti tutemet. Sed tuo exemplo talia mittam, tot lineis indigna. Valdè fidei historicæ diffidis, si in his allucinari te potuisse concedas. Secula bina utriusque ætatem circiter distinxisse dubitare non debes; sed in eo allucinaris, quod eam me seriem seriò invertisse suspicaris. Sin aliter credas, scias à futuris quoque deceptum *Hippocratem*, idque ut est apud *Celsum* L. VIII. cap. IV. *more magnorum Virorum & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam lævia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt.* Confusos temporum ordines nolo

tueri magnorum Virorum imitatione, quia de illa cauſa, ſi imbecillis, deprecarer nihil. Tibi arbitror ſatisfactum ex voto, ſponte confitenti, allucinari te potuiſſe ſiniſtrioris ſuſpicionis facilitate,

§. 3. *An ſtans quieſcere poßit?*

IAmque ad caput controverſiæ devolutus *Irenæi* locum contra interpretationem meam aſſerere ſatagis, in quo ſalus ſuppedanei poſita. Exiſtimaveram *Irenæum* eminens illud *cornu in medio* indigitaſſe crucis, quando in eo dixit requieſcere clavis affigendum, non enim rectè requieſcere qui pedibus inſiſtit. Verba *Irenæi* ſunt L. II. cap. XLII. *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque, duas in longitudine, & duas in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit qui clavis affigitur.* De quo loco plura in diſſert. de Latere Chriſti ego, aliique. Tu contra ex eodem ſuppedaneum cum *Iacobo*

cobo Gretzero, Lib. I. de Cruce cap. cap. xxx. tibi hac parte favente astruis, quia *requiescit & ille qui stat, levamen dolorum aliquod percipiens, saltem initio, fatigatis necdum stando cruribus.* Cœterum de statuis optimè tua succederet ratio, mi *Nihusi*, perpetua statione quiescentibus. Aliter enim rem acceperunt Athenienses & me & te sapientiores. Qui apud *Ælianum* Lib. IV. Var. hist. in publicum prodeuntes, servos secum ducebant sellas gestantes, quibus defatigati commodè séderent. Stultè profectò tantam à servis operam requisivissent, si rectus pedum corporisque situs ad quietem fuisset sufficiens. Ego, quia scilicet paucos pervolvi, non memini me legisse usquam, quiescere peracto labore cursuque illum qui stat. Aliquid dixisses speciosi, si cubasse esses professus. Illi enim qui maximè miseram traxerunt vitam, ut *Onophrius*, *Hilarius*, *Martinus Turonensis Episcopus*, *Pastumius*, *Germanus* Antisio-

dorensis Episcopus, *Paula* Romana, *Atella*, *Otilia* Virgines, duritiem vitæ sectaturis, somni mollitiem duriusculis lectis fregisse perhibentur apud *Marullum* & *Sabellicum*, ut scias quietem etiam maximè inquietem vel sessione vel decubitu confici, statione nunquam, ne de Christo itineribus lasso id suspicemur, qui equitando, non stando, quievit in pegmate quod forte ad manus ad requiem erat solum. De Persis *Athenæus* L. XII. C. IV. memoriæ nostræ prodidit, plura strata in equis habuisse, magis molliter sedere quam rectè equitare cupidis. Quod licet ad luxum spectet, indicio tamen est certissimo, quiescere melius illos qui vel sedeant vel equitent, quam qui pedibus innituntur erecti. Quiescunt & feminæ in equis substrata pedibus tabella, sed à sella sustinentur non à tabella sola suppedanea. Parùm est quod in dubiæ opinionis robur affers, *eatenus requiescere, saltem initio quatenus levamen aliquod stando percepit.*

Enim-

Enimverò nullum levamen est, si lassus pedibus consistas, nisi sedile simul apposueris. Non pedes solùm ambulando delassantur, sed ipsum crus femurque, quin totum corpus, quod sicut fulcro pedes, aliquo sedili requiescit. Nec video, quomodo dolorum levamentum ex staticulo perceperit, si totum corpus saucium sine alio fulcro aut sedili propenderet. Nihil est quod urges, *requiescere pedibus saltem initio, fatigatis necdum stando cruribus.* Quippe fatigati initio suspendii fuerant pepes ambulando, non stando. Tot passus emensus erat, totque verbera doloresque perpessus, quorum quoque ad pedes derivatus sensus, ut officium suum amplius facere nequiverint. Imò ambulacro impar ope Simonis indiguit. Interfuit autem crudelitati militum & carnificum, ut quiete aliqua diutius ad supplicia uberiora superesset cruciarius. Quo fine hyssopum exhibuerunt, ne viribus, ut credunt alii, deficeret antequam advo-

catus venisset Elias. Succubuisset exordio martyrii si pendulum fuisset corpus, gravitate quoque sua incurvum, quum tota moles pedibus inniteretur pegmate medio illi denegato. Magis musculi pedis delassantur in extensione quàm flexione. Nam extendunt quatuor, duo nempe Gastrocnemii, soleus & plantaris, Flectunt verò tantùm duo, tibiæus anticus & peronæus biceps. In Tibia pares numero sunt flexores cum extendentibus, ferè etiam robore. At majori nisu utitur natura in amandandis animalibus spiritibus pro extensione validiorum pluriumque, citiusque debilitatur, quàm si inflectat pedem. Hinc facilius contractis pedibus cruribusque ad quietem somnumque componimur. Difficilior extensio, quia musculorum hæc passio potius quàm actio, ut Anatomici nostri inculcant, interque eos *Laurentius* Lib. v. c. vii. si quidem sequuntur motum, violentum quasi, contrastantium. Et ab animali facultate est contractio,

tractio, unde in somno quando voluntas cessat contrahimus. Extensio autem instrumenti est & voluntatis, ut ex *Galeno* Lib. I. de Mot. Musc. c. VIII. & IX. colligitur. Quod ego tamen non assequor. Extensio sanè mortuorum similis, non viventium. Quisque in se experiatur citius delassari tensos in pede extenso musculos, quam contractos. Accedit etiam totius corporis moles quæ solis ossibus cruris innititur exilibus nisi substrata sella suffulciantur. Sed vera ratio suadet Anatomica, minus in statione esse quietis. Nam erectus pedum positus per musculorum extendentium, inflectentium peragitur concursum, actione confusa & permanente. Tenduntur fibræ, & tensæ manent, à quibus non levis passio oritur. Estque is motus musculorum Tonicus, qui ad præternaturalem quodammodo referri posset, nunquam durabilis, quia coactus ex parte. Talis stantis est hominis & avium volantium. Sicut autem vo-

lando delassantur aves, quanquam immobiles fere alæ videantur ob motum sensivum, ita & stando homines marcescunt inquieti. Unde flexu pedum ad somnum se componunt animalia omnia, & ægri si cruribus, manibus, pedibusque leviter decumbant reflexis, bonum est monente *Hippocrate* in Prognosticis, quia is sanorum decubitu similis. Quare sanorum? quia animalis facultatis indicat robur suspendens quasi in sublimi corpus quod emortua anima gravi instrumento rectà extenditur, ut ex *P. Alpino* L. III. De Præs. Mort. c. II. discimus. Extentis enim jacere pedibus porrectisque, manibus & cervice minus bonum *Coo*, quoniam à naturali situ deflectit, quem animæ vis in levem flexum torquet, defectus extendit. Pedibus igitur suffultus Christus morbidum statum retulit, nec vires constare sic potuere, si quiescere debuit situ naturalem proximè imitante. Notat tamen *Galenus* in Comm. I. Progn. crura ac manus paulum

lum reducta esse debere extra hyperbolicas figuras, h. e. ut neque summè extendantur, nec immodicè inflectantur. Utrumque enim periculi plenum. Falleris ergò egregie, dum persuasum habes quiescere Christum, quia pedibus immobilibus nititur, quasi omnis labor in motu & omnis immobilitas in quiete consisteret. Consule Medicos, quos vobiscum habetis Doctissimos, ut firmius contrarium credas. Nihil enim ex cerebro meo fingo, ut more aliorum, tibi fucum faciam. Vis experimentum? En ex nova *Sanctorii* Patavini mensurandi ratiōne, 30. annis ab ipso in statera probata. Invenit ille Sect. IV. *Stat. Med.* Aph. XIII. agitationem in lecto magis debilitare quam cursum, quia ibi omnes musculi, hic pedis solum moventur. *Galenus* verò illo Senior clarè demonstravit L. I. de Mot. Muscul. c. VIII. quarto illo motu agere musculos, quamvis moveri nequaquam videantur. Fingatur enim manus sursum tensa in ea-

dem figura servari, profectò non movetur: Agit tamen & dum tensa manet delassatur. Pari pacto & pedes erecti, quia tensi in quiete habent inquietem. Duo enim repugnantes ibi concurrunt actiones, quod exemplo mechanico illustrat cap. VIII. *Galenus* extendentium & contrahentium musculorum, inter quos de victoria pugnatur, quanquam quiescere videatur pes. Nam quantum alter motuum trahit deorsum, tantum alter retrahit sursum, & ita in eodem loco corpus cogit manere, non ut immobile sed maxima quietis specie mobile. Hincque lassitudo Christo major ex suppedaneo, quàm eminenti pegmate, quod tamen Medicinæ non ita gnarus concedere mihi recusasti. Nota *Aristotelis* Quæst. XXX. Mechan. demonstratio, sedentem ideo quiescere, quòd rectus angulus, quem facit femur & tibia, sit quietis causa. Qui certè angulus non exsurgit ex recto pedum positu. Non quod defendere

Ari-

Aristotelis velim Problema, sed ut te auctoritate veterum premam. Scio enim *Bernardinum Baldum* in Exerc. Mech. Philosophi damnare rationem, non tamen inficias ire quin sedentes soli quiescant: Rationem autem ex natura, non Mechanicis petendam. Quiescere sedentes, quod thoracis & femorum pondus ab ipsa sede sustineatur; crura verò & pedes ideò non laborare, quòd partim suspensa sint, partim solo ipsi innitantur, quare cùm corpus totum nec se sustineat, nec à pedibus sustineatur, fit quies & lassitudinis allevatio. Utrumque igitur & hypopodion & vehiculum si cruci asseramus, maxima orietur quies, quia hypopodion soli habet rationem. Minor quidem, sed major quies quàm ex hypopodio, si vehiculum illo excluso reponamus. At nulla planè in solo hypopodio. Consulatur alibi *Galenus* lib. 15. Us. Part. c. 8 qui inter crurum actiones *Stationem* collocat, nec aliud inter ambulationem cursumque & sta-

tionem ponit diſcrimen, quam quod in illis crura contrario inter ſe modo ſint affecta, in hac verò ſimiliter utrumque crus ſit protenſum. Et quum in ambulatione maximum pondus corporis incumbere pedi recto, elevato altero, diffusè demonſtret, idem de ſtatione arbitror dicendum, ubi quanquam juncta ſint crura, adeoque facilius ſuſtineant molem corporis, quam diviſa; tamen delaſſantur. Exercitium in ſtatione eſſe *Cælii Aureliani* Methodici Medici antiqui auctoritate confirmo. Is lib. 1. *Tard. Paſſ.* c. 4. in Epilepſiæ curatione ſuadet, ut deambulatione moveatur æger loco lucido & longo ductu, *dehinc*, addit *ſi ferre valuerit, etiam vocis atque corporis exercitio utatur, monentes ut neque Spiritum retineat, neque pronus vel circumflexus* [ob vertiginem caliginemque] *aut ſæpe converſus aliquid gerat; ſed pingui unctione defricatus ſtanti exercitio moveatur.* Alii *ſtans* legunt, ego facili mutatione *ſtantis* repono. Plures hujus exer-

exercitii utilitates proponit *Mercurialis* l. 2. Art. Gymn. c. 3. ubi in hoc argumento totus est, ut probet erectum stare esse exercitationem, quia musculi omnes contenduntur, & corpori deorsum tendenti anima sursum obnitens laborat. Si reponas, suppedaneum substratum adjuvare quietem; Dicam; non magis lassi hominis hypopodion solari quietem, quam funambulum subtenta chorda. Illud enim solis plantis inservit, quum totius cruris pedisque motus adhuc sit tonicus. Et cur non in latiori solo consistentes, quiescere dicimur, si in angusta tabella quievit Salvator? Difficile in arcto adeò solio lassos pedes sustinuerit sanior, ut mirari subeat de afflicto languidoque jam Christo adeò te esse promptum. Meo judicio majorem corporis lassi molem medio fulcro, quod sedile vocat *Tertullianus*, debuit sublevare, quo, ut *Irenæus* loquitur, requiesceret clavis affigendus. Verum enimverò ægrè fers, quod mentem ve-

strorum

ſtrorum non fuerim aſſequutus, amico hoc alloquio: *Mi Bartholine, mentem noſtram non fuiſti aſſequutus. De eo enim ſermo eſt, qui affigitur (ut & habet Irenai verbum) aut affixus eſt primulum; non de eo, qui, poſtquam fuit affixus, deficere viribus cœperit.* Multa hîc in unum congeris, quæ nota indigent ſæveriore. Placidus tamen ero, quia tuum me nuncupas, quamquam me credas vos non intellexiſſe. Non equidem adeò vos ſubtiles obſervo, ut ſenſus abſconditus mihi poſſit latere, niſi cum Melanthio ſit dicendum, orationem veſtram videri haud poſſe, quod vocabula ejus conſpectum intercludant. Nec enim in Anticritico hoc loco τὴν καθαρότητα τοῦ λόγου ut appellat *Hermogenes*, ubique ſervaſti. Quid autem de ἀληθινῷ λόγῳ dicendum, ex reſponſione noſtra judicabit Lector, quia nullæ aliæ perſpicuitatis ſunt notæ. Mentem veſtram ſi aſſequutus non ſum, parum refert, modò *Irenai*, de cujus loco ſerram ducimus, perceperim argumen-

gumen-

gumentum. Frivola eſt accurata temporis apud *Irenæum* diſtinctio, magni adeò à te, facta. Noviſtine *Irenæum* patria Græcum, dictione phraſique græciſſare, ut pro elapſo tempore præſens potuerit reponere. Imò quis eum Græcè ſcripſiſſe non ſuſpicabitur, ex *B. Hieronymo* L. II. in Ezech. c. XXXVI, qui in ſcriptorum Græcorum catalogo diſertè collocavit. Unde interpretis vitio multa contra Latini ſermonis proprietatem irrepſere. Notum *Barn. Briſſonii* de ejus libris judicium: *De Græcis elegantibus Latinos rudes factos.* Cenſuit *Eraſmus Roterodamus* Latinè quidem ſcriptos, ſed à Græco Græcè ſatis, neutiquam Latinè perito. Quod tamen non arridet *Andreæ Riveto* Viro Clariſſimo L. II. Crit. Sacr. C VI. Quidquid autem ſit, accuratam ab eo temporum rationem fruſtra exigis. Sed ſit, ut fingis, de eo ſermonem illi eſſe *qui affigitur*, aut *affixus eſt primùm*, an poſtea uſus ſuppedanei tibi exolevit, quam affixus eſt cruciarius? An

An recenti cruciario ad requiem credis sufficere hypopodion, pro inveterato addendum πῆγμα illud ἐξέχον, ut deficientibus jam viribus quiescat? Pro me sententiam ipse fers, quia de Christo sermo est cum *Irenæo*, quem viribus exhaustum antequam crucem ascenderet & sacra testatur historia, & nos mox ibimus probatum tuam solius in gratiam. Certum præterea est, ita cruciarios affigi solitos tanquam per aliquot dies mansuros in cruce, quibus dierum induciis sine dubio & deficient vires & sedendi orietur necessitas. Dictatoris *Julii Cæsaris* dictatum fuisse accepimus ex *Plutarcho: ampla loca Principibus concedenda, necessaria debilissimis.* Aliud superaddis sententiæ tuæ momentum, quo pro stationis quiete pugnes: *Numquid non quem sedendi, vel etiam culcitris incubandi maxima ceperit satietas, quiescit, insistens denique pedibus, aut insuper excurrens?* Ratio mehercules ne titivilitio digna. Quiescant levi pedum excursione quibus

bus culcitra inter quotidiana numeratur mutata rerum vice. At Chriſtus nullum pulvinar preſſit negata illi ſedendi commoditate, antequam itineris ſatur, quod pedibus emenſus erat, & laborum, excurreret in crucem. Tibi ſcilicet in labore requies homini induſtrio. Milo fortaſſe Crotonienſis ex *Tullio* tibi occurrit hæc cogitanti, qui jam ſenex athletas conſpicatus alios in curriculo ſeſe exercentes; fertur lacertos ſuos inſpexiſſe, lacrymiſque profuſis dixiſſe: *At hi jam mortui ſunt.* Placuere illi occupatæ manus, & ſequens exinde quies, non corporis, de quo diſputamus, ſed animi jucunda gloriæ cupidine ineſcati. Ex laboribus corporis juſtum excedentibus modum, quales pertulit Chriſtus, mors potius quam ſanitas requieſve conſequuta. Ita Statira Darii uxor captiva quum agmen ſequeretur, continuo itineris labore animique ægritudine fertur extincta. Qua fronte Salvatori promittimus vel affingi-

fingimus quietem, qui ne lapidem invenit capiti fubfternendum. Ex curfu mortuus eft Euchidas Platæenfis, & ex nimio clamore animam emifit querulam Hortenfius Orator, ut eft apud *Q. Serenum.*

—— caufis confectus agendis
Obticuit, cum vox Domino vivente periret
Et nondum extincti moreretur lingua palati.

Nullis horum ceffit Servator, fi laborem fpectes quo itinera confecit & conciones habuit, neque majorem quietis hujus fructum potuit expectare. Dic quæfo qui me amas, fi in labore requies, cur Domitianus Imperator impatiens alioquin laborum, per urbem pedibus non temerè ambulavit? quin in expeditione, tefte *Suetonio* in ejus Vita, & agmine *equo rarius, lectica affiduè vectus eft.* Magnum in pedibus laborem pofuit, quem non equus, ut Chriftum extans lignum in medio, nec

nec laboriosius hypopodion, sed lectica promovebat. Nollem in ullo amicorum tuorum fieri experimentum, quàm facile esset industriis ea tormenta excipere quæ pertulit Christus. Aliter sentirent, nisi me fallit augurium, aliamque optarent quietem minori labore partam. Sit, per me licet, requies in labore homini sano. Alia verò de afflicto ratio, qui in quiete quærit requiem. *Nicolaum Fullerum* ex parte tibi faventem invenio L. IV. Misc. Sacr. cap. XII. Requiem enim exponit illam quando pedibus nititur, ut suppedaneum suum defendat, quia ἀναπάυεσθαι de eo dicitur qui à motu cessat. Sed responsionem à *Galeno* de Mot. Musc. hauriat, laborare etiam musculos, quanquam non moveantur, & moveri quanquam delassentur minus. Cœterum non commodè adeò in suppedaneo totum Christi corpus suffulcitur, ut in vehiculo medio, quod vester *Jacobus Bosius* L. I. de Cruce c. VI. menti *Irenæi* congruum arbitratur.

tratur. Sed hæc minoris à te momenti judicata, transeamus, ut propius scopum feriamus.

§. 3. *Defensio*, Justini, Irenæi, Tertulliani, *&c. pro partibus crucis, & de Pictoribus.*

De hypopodio judicium suspendis, nihil ausus definire eorum, quorum causa ad scribendum accessisti. Quod si de suppedaneo judicare noluisti, cur *Georgium Calixtum* ferociter adeò in Anticritico es aggressus. Hoc solum nomine dicam illi literariam scripsisti, quod hypopodio rejecto, spretaque *Turonensis* auctoritate medium illud πῆγμα elegerit. Hac quoque ad me Epistola §. VI. verba *Irenæi*, *Justini* &c. ad suppedaneum reflectis singulorum expensis vocabulis. Viles causæ te impellunt ut *Irenæo*, *Justino*, *Tertulliano* sedile & hypopodion astruentibus fidem deroges. Quia, inquis, Ecclesia de sedili testimonia *Justini*, *Ire-*

Irenæi ac Tertulliani non recepit unquam, aut existimavit esse certa, sed solum puris putis accensuit conjecturis. Graviter, nisi erro, in Ecclesiam peccasti audaciori hoc responso, quippe quæ ea testimonia Patrum damnavit nunquam. Ecclesiæ saluti officiet nihil illud πῆγμα, si vel maximè verum sit auctoritate illorum. Alia non raro credunt mortales sine testimoniis, quæ cum testimoniis etiam Reipublicæ & Ecclesiæ forent periculosa. An auctoritatem Patrum trium unquam suspectam habuit Ecclesia? Gratis id dixeris. *Justinus* certè & antiquitate & doctrina & genere mortis primum à temporibus Apostolorum inter Scriptores meretur locum. Nam seculi secundi Auctor primus, in Ecclesia habitus semper, germanus & sincerus veræ Philosophiæ amator, ut apud *Eusebium* L. IV. hist. Eccl. c. VIII. & *Nicephorum* L. III. c. XXVI. audit. Veritatem autem fidei Christianæ demonstrans corona martyrii exornatus fuit, teste

teste eodem *Nicephoro*, *Photio*, *Hieronymo*, qui nec Dialogum istum in Catalogo Scriptorum Ecclesiæ damnavit unquam, nec pro suspecto habuit rigidus eorundem Scriptorum Censor *Bellarminus* in seculo secundo. Non facilè inducor ut credam *Justinum Martyrem* quicquam, cum Judæorum illo principe disputaturum, in cruce finxisse. Judæum harum antiquitatum gnarum habuit à tergo, à quo revelleretur si fingeret illis temporibus nec picta nec scripta, nec tradita. Nihil de suo alienum addidisse in fine colloquii fatetur *Tryphon*, mirificam ex eo voluptatem cepisse professus, plusque invenisse se quàm exspectarat, quia ignoraverat recutitus Unicornu Deuteronomij de crucis eminente trunco esse intelligendum, prius quam ad oculum demonstrasset *Justinus*. Non minorem fidem meretur *Irenæus* martyrio quoque nobilitatus, cujus libros doctrina plenos & pietate *Bellarminus* laudat. Errores

rores in eo parciores leguntur, communis nempe ille pluribus Patribus de millenario Christianorum regno opinio. At de crucis hoc errore ne gry quidem annotarunt *Centuriatores Magdeburgenses*, nec *Baronius*, nec *Possevinus*, nec alius hujus classis Aristarchus. *Tertulliani* vero auctoritas neutiquam hoc loco elevanda, quod ad Montani hæresin prolapsus sit, vel secundas nuptias aversetur, vel fugam damnet, vel animam ex traduce derivet. Nihil illa hæresis cum crucis partibus, in quibus non laborabat *Montanus*. Phryx ille, quum se, teste *Epiphanio & Augustino*, assereret, nec crucem nec ejus partes destruxit. Nullum hic errorem agnoscit in ejus Vita *Pamelius*. Et rectè *Bellarminus* l. I. de Chr. c. VI. *Tertulliani & Eusebii in dogmatibus parva est auctoritas*. At in historica narratione cum Eusebio paris est fidei & dignitatis. Prætereo librum illum adversus Judæos, ubi *excessus* illius *sedilis* in cruce meminit, ante con-

ſcripſiſſe quam in hæreſin delaberetur. Id exinde conjicio, quod *Hieronymus* in lib. de Script. Eccl. ſilentio prætermiſerit, quum ſcriptorum contra Eccleſiam Tertulliani texeret catalogum. Tua culpa videſis ne illi eveniat quod eleganter dixit *Hilarius* in Matth. v. *Conſequens error hominis, detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem.* Fabio igitur ſis loquacior ſi perſuaſeris mihi, Eccleſiam hæc Patrum de crucis ſedili teſtimonia unquam rejeciſſe. Provocas tamen ad picturas Eccleſiæ: *Quis enim neſciat Eccleſiam à tot jam ſeculis effigiare Chriſtum crucifixum ſolitam, ſed ſine vectabulo iſto?* Non vacat omnia Chriſtianorum ſacella excutere, & diſplicet jam mihi quod de hoc argumento non cogitarim quum in Italia, Sicilia, Gallia complures cruces luſtrandi publicas privataſque daretur occaſio. Certum & extra dubitationem poſitum eſt Eccleſiæ Antiſtites, non ſemper ſculptoribus pictoribuſque ponere leges in iis

quæ

quæ salva fide & ignorantur & creduntur. Pictores autem vel eo titulo venia dignos pronunciarim, quod vectabulum istud una cum partibus à natura occultatis velo sacro tegant omnes, quanquam an planè nudis partibus cruci sit affixus Servator dissentiant eruditi. Libertatem interim permisit tacitus Ecclesiæ consensus, ut cum partibus, quas sustinet, etiam sedile tegant. Nec aliter fieri id potuit debuitve ob castos spectantium oculos. Nihil igitur subsidii ab Ecclesiæ pictoribus mutuaberis, quum vulgo illi delineent ab Ecclesia & Scriptura alienissimos ductus. Deum Patrem senis habitu vultuque depingunt, qui nec humana est facie, nec in senium transcribitur, si quidem Vadii Anthropomorphitarum auctoris hæresin rectè damnavit Ecclesia apud *Epiphanium* hær. 70. Iidem colorum magistri assidentes in sacra Cœna discipulos & in gremio Christi, velut infantem Joannem adum-
 brant,

brant, quum diſcubuerint more Romano in tricliniis, & Joannes Chriſto in triclinio proximus fuerit reclinato corpore, ut oportebat, in Salvatoris gremio. Qui ritus apud Ebræos etiam ante ſacri imperii lapſum obtinuit, ut quo charior quis, ita in accubitu eſſet vicinus. Unde lux *Deuteronom.* XIII, v. 6. XXVIII, 54. 56, ubi *Uxor ſinus*, *Vir ſinus* pro chariſſimis uſurpantur, quod in alterius ſinum ad menſam ſoliti ſint recumbere. Eaque periphraſi Lazarus in *ſinum Abrahæ* dicitur tranſlatus, ad convivarum accubitus ſimilitudinem. Pictoribus tamen ſi credimus, valdè decipiemur, nec minus eris falſus ſi ad eorum provocaveris auctoritatem. Quod ſi ulterius cum Eccleſia fueris moleſtus, opponam *Innocentii* Pontificis Tertii teſtimonium, fallere tibi neſcium *Serm.* I. de Un. Martyr: *Fuerunt in cruce Dominica ligna quatuor, ſtipes erectus & lignum tranſverſum, truncuſque ſuppoſitus & titulus ſuperpoſitus.* Accedat

dat illi *Julius Firmicus* de Err. Prof. Relig. *Cornua nihil aliud nisi venerandum signum crucis monstrant. Hujus signi uno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur.* Extensum cornu judice *Jos. Scaligero* Animad. ad Euseb. ἔξοχον est πῆγμα. Vocaturque cornu ad *Tertulliani* & *Justini* mentem. Truncum suppositum *Innocentii* non de basi crucis accipiendum cum nonnullis [ex quibus *Lipsius*, Lib. II. de Cruce cap. x,] inde colligo, quod inter se componantur *titulus* & *truncus*, ille superpositus, hic suppositus. Stipite erecto utrumque extremum complectitur, præter quæ in summo titulum, in imo truncum ponit eadem à stipite differentia. Nec de suppedaneo rectè acceperis, quia & hoc tibi displicet. Rectius igitur de sedili interpretaberis, quod *Justino* κέρας, *Tertulliano* sedilis excessus, ut prolixè docuit *Salmasius* Eruditorum Princeps. Cui quidem Viro pluribus verbis §. VI. exprobras elatam explicationem, sed

Jovem Lapidem jurarim ſi quidquam videam ſolidi quod tantum Virum mordeat. De *Innocentii* ætate largius diſſeris, uter antiquior, hic an *Beda*; cœterum truncus ego ſim ſi quidquam ex iis vel Innocentii trunco, vel Salmaſianæ explicationi adverſetur.

§. 5. *De hypopodio.*

IAm cum hypopodio tranſigis haud ſatis, meo judicio, fide bona. *Gregorii Turonenſis* tutatus es auctoritatem de ſuppedaneo contra *Georgium Calixtum* in Anticritico §. 3. pag. 4. idque quia etiam ejus tempore adeoque ipſomet teſte, publicè omnibus inventa tempore Helenæ crux exponeretur in urbe. Nunc autem ejus teſtimonium imbecillius æſtimas, quam ut Eccleſia inde firmi quid ſtatuat. Cave hanc intelligat inconſtantiam *Calixtus*, malè mulctaberis. Nam gladio te perimet quo jugulum ejus fruſtra petiiſti. Non ego pro Turonico Epiſcopo aciem inſtruam,

ſtruam, quia nulla inter nos de ſuppedaneo lis, ſciamque Turonenſem non vera ſemper narrare, ſed pia: Verum mirari ſubit, qua fronte Eccleſiæ hîc patrocinium prætendas, quaſi *ab eodem ſuppedaneo hactenus abſtinuerit.* Ad cerebri tui normam Eccleſiæ decreta exigis. Non induxi in animum hypopodion defendere hac Apologia, quia nuper mihi illuſtris *Salmaſius* ſatisfecit, ſed Eccleſiam ab illo abhorruiſſe, auſim pernegare. Cur enim cudi curavit vel permiſit nummum ab Henrico Imperatore Conſtantinopoli miſſum cum rudiore illo ſuppedaneo, parumque à terra extante, quem ex monaſterio Lætienſi beneficio Villerii *Lipſius* exhibuit Not. ad Lib. II. qui Eccleſiæ Catholicæ alumnus apertè profitetur L. II. c. X. non temerè ſe ſpernere præſertim à cruce Chriſti, de aliis verò audacius ſe poſſe, quia nullum in antiquis veſtigium. *Lipſium* hoc nomine laudat ſequiturque *Gretzerus* L. I. de Cruc. cap. XXX. &

 Bellar-

Bellarminus magnum Ecclesiæ Catholicæ columen *Præf.* in VII. verb. Uterque se tutari possunt loco *Nazianzeni* alibi à nobis excusso, si is auctor est Tragœdiæ χριστοῦ πάσχοντος, cui πηκτὸν ξύλον lignum hoc impactum stipiti nominatur, in quo pedes affigebantur cruciarii:

—— Ἥλωσαν κέρας,
Πόδας δὲ καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ

Video effugium tuum, *permittere* Ecclesiam *tantummodo quibusdam illud locis, quum nihil deroget fidei & religioni Christianæ.* Quandoquidem eo tantum fine permittat Ecclesia, nescio cur approbare non possit. Permittuntur in *Codice* Justiniani quæ vel nullo jure prohibentur, ut secundæ nuptiæ, *C. Contrah.* 31. q. 1. vel contra constitutiones humanas indulgentur, ut matrimonium in quinto gradu, *C. quidam* 35. q. 5. vel illicita, ut magis illicita vitentur, *gloss.* in *C. omnis autem* 3. *dist.* qua necessitate prostibula Ro-

mæ

mæ & Venetiis tolerantur. At nullo horum modo ſuppedaneum permittit in crucibus Eccleſia. Unde nihil cauſæ habet, quare in illud non debuerit conſentire. Advocas in labentis opinionis ſubſidium, manus ſine adminiculo hypopodii aut vehiculi tutas à laceratione. Verum te cum *Lipſio* committam & *Gretzero*, qui funes adhibitos circa pectus medium & humeros ſuſpicantur quandocunque impares eſſent tantæ moli ferendæ tenuiores manus, quanquam de utroque eminente trunco, præſertim medio, impensè dubitarint. Ad cruces Japponenſes te amandabo, in quibus & ſuppedaneum & vehiculum annotavit *Joſ. Scaliger* Animadv. ad Euſeb. Chron. ſine dubio quod corpulentiorum Monachorum manus ſolæ pro magno corpore ſuſtinendo fuerint imbecilliores. Quod neceſſitatem eminentis pegmatis inducit indicio haud obſcuro. De ſuppedaneo quippe non intercedo amplius, quia pedes

clavis potuerunt trunco erecto firmius affigi & contineri, reliquum corpus ponderosius non ita facilè sine vehiculo à manibus sauciis dependebat. Sanè si manus eo fuissent in cruciariis robore, ut totum appensum corpus sustinerent, frustra clavi adigebantur. Clavi aliqua parte sublevant onus, ob subtiles manuum ductus, sed sine vehiculo parum profuere. Stabat enim erectus, nec debilibus pedibus tutò innitebatur, imò incurvis, delapso à brachiis corpore. In quo situ quid roboris manus habeant, me tacente, loquantur experti. Inflexis fuisse genubus oportet, si denegamus hypopodion. Plantæ enim pedum arbori crucis applicandæ clavisque consignandæ necessariò ad flexuram genu composuisset, ut calcaneum elevaretur. Sic autem nullum ab affixis pedibus adjumentum, sed majus emersit brachiorum pondus. Augebat eam lassitudinem pedumque imbecillitatem separata eorum in stipite extensio. Difficilius

ficilius ſeparati pedes incurvo genu corpus ſuſtinent, quam ſi uno alteri impoſito jungant vires. Colligimus eum ſitum ex numero clavorum quaternario totidem membris deſtinatorum, quorum indicium præbent *Gregorius Turonenſis* de glor. Mart. c. VIII. *Innocent.* Serm. I. de Un. Mart. *Toletus* c. XIX. Annot. XIV. *Brigitta* L. IV. Rev. c. VII. *Nonnus* in Joh. quem iccircò contra *Lipſium* & *Caſaubonum* defendit *Richardus Mountacutius.* Inde eſt numerus plurium clavorum *pedibus* infixorum apud *Cyprianum* de Paſſ. & *Auguſtinum* c. VI. Medit. Firmantque picturæ antiquæ & ſtatuæ complures. Imago crucifixi argentea in Baſilica Petri Romæ, & *Lovanii* in S. Michaële, quam tu luſtraveris. *Bellarminus* præf. in L. de VII. Verb. Pariſiis in antiquiſſimis Bibliorum manuſcriptis Regiæ Bibliothecæ eundem ſe teſtatur numerum obſervaſſe, & ego paſſim in imagunculis memini me vidiſſe. Si doctoribus veſtris adhibenda

fides, quid ſingulis quatuor ſit factum non ignorabis. Primum enim ferunt, conſentiente quoque *Turonico*, ab Helena in mare Adriaticum projectum ut fluctus ventumque compeſceret. Alter Romæ cuſtoditur ſumma fidelitate in Æde S. Crucis in Hieruſalem. Tertius in majori Baſilica Mediolani monſtratur. Quartum magno cultu Treveris ſervat. Si itaque à ſe fixi diſtabant in cruce pedes ſine vehiculo imbecilliores, corporis dubio procul ſummam ad ſe traxere partem, & ſine ſuppedaneo non arbitror ſuffeciſſe ponderi manus. Non eſt quod de ſedili tantas excites turbas, niſi gravioribus urgearis rationibus.

§. 5. *De ſedili medio contra Morinum.*

NOn me movent argumenta tibi à *Jo. Morino* Doctiſſimo Viro per Epiſtolam annexam in ſubſidium miſſa. Facilè illa diluuntur. Teſtes advocat

cat crucis oculatos, qui trium tantum lignorum meminerunt, quum inventa esset, erecti nempe, transversi & tituli. Verum huic objectioni in *Observationibus* meis *de Unicornu* cap. XXIII. satisfeci. Trium tantum lignorum meminerunt, quia inter crucis partes principem obtinebant locum. Πῆγμα ἐξέχον & minus est, & perpetua crucis non censenda pars, licet debilioribus necessaria. Quod de hypopodio quoque dicendum. *Cyrillus* Hierosolymitanus, *Ambrosius*, *Paullinus*, *Ruffinus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus* aliique quos ad testimonium citat *Morinus*, inventionem quidem crucis diffuso filo texuerunt, sed nec circumstantias omnes addidere, ut falsò urget, nec ad oculum rem viderunt quam describunt. Operosi sunt in miraculo, quo sancta crux discreta fuit à latronum ligno. Parum de ipsa cruce. Nihil de magnitudine, nec de titulis latronum, nec lignorum genere, crassitie,

colore, forma. Silentium altum de malleo, nisi apud *Brigittam* Lib. IV. Rev. cap. LXX. Præterea posteriores quum sint inventione, nec præsentes ipsi fuerint, ea tantum nobis exhibuerunt quæ vel communis fama referebat vel ex sacra Euangelii historia didicerant. Et quanquam fuerint oculati testes, impactum medio truncum, quia arctius erecto crucis ligno inhærentem, prætererunt & pro unico habuerunt ligno. Vel forsan tempore inventionis primæ comparuit nusquam pegma, longiori sub terris mora à reliquo trunco separatum & sive casu sive oblivione deperditum, quum inventores inventa majori cruce de minoribus particulis non essent solliciti. Exciderat fortasse inter rudera simulachri Veneris ab Helena ibidem destructi. Suspicor autem te cum *Morino* clarissimo, ægrè ferre quod cruci aliquid temporis tractu decessisse dixerim. Sed bilem continebitis, si *Ruf-*

finum

ſinum audiatis L. I. Eccl. hiſt. c. VII. referentem, confuſas cruces erutas, titulum vero quoque adfuiſſe à Pilato conſcriptum, *ſed nec ipſum ſatis evidenter Dominici prodidiſſe ſigna patibuli.* Ex quo loco colligite, & titulum abſceſſiſſe à ſua cruce quia neſciebatur ad quam pertineret, & literas ἀπὸ τοῦ λευκώματος abraſas fuiſſe deletaſque vetuſtate. Illud *Sozomenus* L. II. c. I. apertius indicat, ſeorſum aliud lignum repertum ad tabulæ ſimilitudinem, imò Inſcriptionem dilapſam eſſe & disjectam. Conſentit *Nicephorus* Lib. VIII. Hiſt. cap. XXIX. de tabula alba cum crucibus inventa, quam ſupra caput Chriſti in modum tituli [non columnæ, ut malè vertit *Interpres*] collocaverat, monetque *literas diffluxiſſe, tabulamque temerè jactam jacuiſſe.* Nonne par fatum pegmatis utriuſque, ut planè disjecta nequiverint agnoſci? Titulus ſanè, niſi literarum reliquiæ in σανίδι λευκῇ veluti ex naufragio ſuperſtites ſe prodidiſſent, perpetua quoque

que

quæ mansisset oblivione sepultus. Hinc facilè Eruditis *Morini* rationibus reliquis ipse satisfacies ex ingenio. Fuerit lignum utrumque, utpote cruore Dominico nobilitatum, commemoratione, ut ait, dignissimum; tamen quia de eo solliciti non fuere inquisitores, majori ligno invento, magis facilè terræ condonabunt. Nec omnium habuerunt rationem primi Christiani, quæ sanguine Christi cruentabantur, alioquin plures glebas saxaque ex monte Golgatha ad posterorum misissent venerationem. Fuerit quoque, ut addit *Morinus*, eodem crucis loco defossum; extrahere tamen cum disjecto titulo nequiverunt, quoniam hic albatus fugientibus literis indicio suo se prodidit, ille inter disjecta rudera sine ulla nota latebat. Ita vehiculum crucis à tui *Morini* insidiis vindicavimus.

S. 7.

§. 7. *De eodem vehiculo cum N. Fullero disceptatio.*

ILli ſuccenturiatum addo *Nic. Fullerum* Lib. IV. Miſcell. Sacr. cap. XII. *Irenæi* locum nobis de ſedili invidentem. Ad ſuppedaneum enim magno conatu deflectit. Sed eadem veri ſpecie, iiſdem rationibus τὸ ἐξέχον πῆγμα, aſſeruerim. Ultima *Irenæi* verba: *Ubi requieſcit qui clavis affigitur* malè conjungit explicatque. Quietem à ſtatione ſupra excluſimus, & quanquam quieſcere diceretur pedibus innixus; tamen in vehiculo vel ſedili immoto ſecurior quies certiorque; Nam in mobili vehiculo eſſe exercitium, non ignoro. Statum deinde & clavorum confixionem ſuppedaneo ad amuſſim quadrare *Fullerus* exiſtimat, non ſedili. Sed nullo jure utrumque copulat. Non requieſcere dixit ea parte qua clavis affigitur, ſed requieſcere in medio trunco eum qui crudelitati militum

ſubja-

ſubjacet. Opponit quietem martyrio; docetque adeò miſerè clavis dilacerari Salvatorem, ut non pedis ſolius quiete, ſed trunci totius per vehiculum medium indiguerit. Ita *Juſtinus*; *in quo vehuntur qui crucis ſupplicium ſubeunt*. Si τὸ *quieſcere* ad pedes ſolos reſtringat *Fullerus*, quia clavi junguntur, cur non ad manus pari clavorum vulnere perforatas, æquè ſpectet. Non effugiet vim verborum *Irenæi* & *Juſtini*, *medium* & *cornu*, quanquam tergiverſetur. Utrumque rectius preſſiuſque de vehiculo. Medium crucis locum non occupavere ſuppedanea in crucibus humilioribus, ſed vix uno à terra pede diſtabant. Cujus teſtes ſint imagines quotquot hactenus licuit contemplari, ſi unicam Crucem coronatam excipias, quam Romæ in Eccleſiâ S. Clementis vetuſtiſſimo & eleganti opere muſivo pictam ſimili typo *Jacobus Boſius* L. VI. de Triumph. Cruc. c. XI. nobis exhibuit. Hic infra mediam crucem im-

impactum hypopodion terram, ut alia solent, non lambit. Cornu autem quid ad suppedaneum? Nusquam cornutam faciem induxit hypopodion, nec, ut ille loquitur, ad impetendum & confodiendum valuit. Tabellæ largioris vel trunci obtusi crassique speciem ubique refert in picturis vett. Ecclesiæ & sculpturis, nunquam in acutum desinit, ut nec pars ejus acutior ἐξέχον πῆγμα esse possit à medio deorsum vergens, quod contra *Scaligerum* finxit *P. Lansselius* Soc. Jes. Cap. 11. in Just. contra Casaubonum, nec τοῦ κέρατος appellationem usumve mereatur. Nam cornu ita comparatum est, ut sustineat angustiores partes si prematur, vel si cum *Julio Firmico* propius ad rem loquamur, constringatur velut eques in sella, latior verò tabella excipiat latiores pedum plantas. Quanto rectius τὸ *constringere* apud *Firmicum* de crurum accipiemus concursu, quam de clavorum in pedibus confixione cum *Fullero*. Non constrin-

ſtringunt hi, ſed affigunt. Cornu medium & ſuſtentat cruciarium, & conſtringitur ipſum. Formam trunci rudioris quadratam monſtrat in ſuppedaneo imago crucifixi argentea in ſacrario Baſilicæ S. Petri dono Caroli Magni circa Annum Chriſti DCC C.XV. olim aſſervata, poſtea in alios uſus ſacros converſa, cujus iconem lectoribus ſtitit *Angelus Rocca.* In tractatu de ligni Crucis Part. Mirum profecto ſpectaculum. Suppedaneum ambitu ſuo majorem ſtipitem crucis ſuperat. Anguſtiorem verò figuram inferiora repentem exhibet crux antiqua annis C C C. abhinc in Danicis Eccleſiis uſitata, quæ dono olim Epiſcopi Othonienſis *Beldenacki*, velut per manus majorum ad *Thomam Bangium*, notiſſimæ famæ & Doctrinæ Virum, tranſiit, apud quem accuratius eam conſideraturus deprehendi adeò anguſtum hypopodion, ut tantum abeſt inſtar cornu emineat, ut potius velut raſum ad ſubjectum truncum breviſſimo intervallo

vallo

vallo porrigatur, & calcanea cruciarii tantum sustentet, neutiquam plantas. Non absimile est illud *Lipsii* Lib. I. de Cruc. cap. IX. digitorum pedis extrema sustinens. Sed intra cancellos redeo parum ad *Fullerum* digressus, contra quem fusius τὸ ἐξέχον πῆγμα astruerem, si id in me nunc suscepissem oneris, vel tu, amice *Nihusi*, dedisses ansam. Pluribus vehiculum defendere non vacat, quod negotium alibi & à me & magno literati orbis dictatore *Salmasio* in datis ad me Epistolis confectum memini.

§. 8. *De tacito Ecclesiæ circa crucis partes, consensu.*

Tecum gressum refero ad §. III, ubi ambigis an quia Justini, Irenæi, Tertulliani & Gregorii Turonici auctoritates in medium protuli, *demonstrem testes* de hypopodio & vehiculo *esse irrefragabiles*. Tibi non sufficiunt, quandoquidem licet vetera sint testimonia,

monia, nunquam tamen vel recepta vel aliquo loco habita ab Ecclesia. Meas nullus rubor genas tingit quod istorum Patrum attulerim verba satis per se loquentia, sive de hypopodio interpreteris, sive vehiculo. Quod verò tibi non sufficiant, valdè miror, quum majus te, utpote Theologiæ sacris initiatum ad eos obliget vinculum, quam me Æsculapio litantem. Singulis ordine suo supra precium constitui, quod nec diminuit unquam Ecclesia, nec damnavit. Satis causæ ad reprehendendum invenisses, si tantum ego Patribus ivissem detractum. Jam ne gratis feras injuriam tantis Viris illatam, te ad tuos relego, *Lipsium*, *Bosium*, *Gretzerum* aliosque numero non paucos, qui auctoritatibus horum Patrum in præsenti instituto steterunt. Satis est, quod nusquam illis nigrum Theta præfixerit, si eos non recepit Ecclesia. Oppono *Jurisconsultorum* axioma: *Approbare dicitur, qui non improbat.* Consentit non solum qui nominatim

&

& expreſſis verbis teſtatur aliquid, ſed & is qui non contradixit. Ita conſentire videtur filia patri de dote agenti, niſi evidenter contradicat ex L. 11. §. *volunt. ff. ſolut. matr.* & Pater, niſi evidenter diſſentiat, conſentire in conſtituendis ſponſalibus filiæ intelligitur ex Lib. VII. *in fin. ff. de Sponſal.* His autem Patrum auctoritatibus contra ſe oppoſuit, quod ſciam, nunquam Eccleſia, quin ita à ſculptoribus pictoribuſque pingi fingique conſenſu manifeſto permiſit. Unde ex hac conſuetudine tanto firmata tempore lex emerſit, quanquam horum nihil ſcripſiſſent Patres. Nam tacitum & expreſſum æquiparantur apud *Baldum L. de quibus ff. de leg.* Idem ſtatuere Concilia. *Nicænum Oecumenicum* I. *Can.* VII. quia συνήθεια καὶ παράδοσις ἀρχαία conſuetudo & antiqua traditio obtinuit, ut Æliæ Epiſcopus honoretur, habeat ordinem honoris. *Epheſinum* Oecumenicum A. C. 435. habitum diſertè improbat quod Epiſcopus Antiochenus

in

in Cypro ordinationes fecerit, quia antiqua consuetudo non obtinuit, unde *Can. ult.* placuit sanctæ Synodo servari unicuique Provinciæ pura & inviolata jura quæ jam inde ab initio habuit secundum antiquam consuetudinem. Religio igitur tibi sit, *Bartholde Nihusi*, ne anathema Ecclesiæ incurras, crucis nostræ partes auctoritatibus Patrum firmatas & consensu Ecclesiæ tacitè comprobatas proprio ausu contradicendique libidine destruxisse.

§. 9. *Carpum Christi clavis non esse perforatum.*

LEviori culpa teneris si vel suppedaneum vel vehiculum admittas, quam si carpum clavis dicas trajectum quo firmius pendulum corpus sustineat. Carpum rectè in *Rubenio* pictore Antwerpiense reprehenderunt sacrorum ejus loci custodes. Caret enim veterum & scriptorum & pictorum fide,

fide, ut soli imagini illi ex cryptis Romanis productæ fidem merito detraxerim. Non dubitavi interim, ut tibi ad singula respondeam, quin & antiqua sit, & reperta à Doctissimi *Erythræi* fratre fuerit, quum plurima vetustatem sapientia ex Roma subterranea quotidie viderim extracta. Frustra te purgas, quasi *imaginis istius ideò solum mentionem hic injeceris, ut indicares videri & fabricatoribus ejusdem vetustis manus non creditas fuisse sustinendæ corporis moli pares, nisi clavi transierint carpum*; Nam te petit argumentum ab antiqua pictorum familia desumptum, quæ plus quam tu animadverterunt transfixas per volam manus neutiquam sustinuisse corporis pondus. Quod autem huic difficultati aliter mederi nequiverit natio illa penicillorum, quam ut carpum ad vulneris sensum advocarit, antiquitatis scripturæque condonandum ignorantiæ. Tibi tamen, ut ingenio geras morem, quanquam pro carpo nolis

pugnare, volupe eſt argumentis meis obicem ponere. *Nec evincis*, inquis, *repugnare id hiſtoria Euangelica, quidni enim trajecto carpo manus transfixa rectè nuncupetur, quum carpus extrema ſit pars manus.* Non repugnat Medicorum filiis, quibus χεὶρ totum illud complectitur quod ab humero pendet, & extremum quo apprehendimus, teſte *Ruffo Epheſio* L. I. de appel. part. c. x. Verum aliter docent Philologi & hiſtoria Euangelica. Χεὶρ illis de extremo tantum quo apprehendimus. Undè Χειρόγραφον, quod manu fit ſcriptum, non carpo, & *manus* in *Jure* pro ſcriptura manu ſubſignata L. xv. *ff. de prob.* & L. I. C. *de metal. decid.* L. XII. Χειραγωγία, βοήθεια *Suidæ* auxilium quod manu fertur. Χειρώνακτες *Herodoto* ſunt opifices qui manibus operantur, non carpo. *Lexicon* meum MS. χειρῶναξ. τεχνίτης. qui alioquin χειροτέχναι Græcis quoque appellati, à quibus *manus* pro arte, & *manus precium* *Cajo* *L. mul. de verb. ſign.* pro mercede. *Ma-*

nu

nu ducere à Græcorum χειραγωγεῖν, dicunt Latini de ope ferenda, qua usus est *Tullius* de Nat. Deor. L. I. & *Lucretius* L. II. *Manum dare* victoribus antiquus mos, pro extrema parte qua copulamus dextras, non carpo interiore. *In manum convenire* eodem flexu verbi invenias apud *Paulum* Ictum, & alia sexcenta quæ recensere nimis foret longum. At sacris Euangelicæ historiæ conditoribus adeò insolens ampla hæc manuum notio, ut si per omnia eorum loca, quæ ultra CXLVI. numerantur, decurras, vix unicum invenias qui non extremæ parti volâ digitisque, comprehensâ faveat ubi de manu pro corporis instrumento agitur. Evolve quæso singula & victas, me sponsore, dabis manus. Non aliter hoc loco accipi potest ἡ χείρ, quam de parte volam complectente. Nam plantæ pedum huic ex directo vel opponuntur vel conjunguntur, pari clavorum ictui patentes. Quò respexit *Ausonius* qui Cupidinem suum introducit

Devinctum post terga manus, *substrictaque* plantis
Vincula mœrentem. —— ——

Palmas disertius exponit *Nonnus* Paraphr. in Joan. cap. xx, in Thomæ Didymi historia, quem Servator ita alloquitur:

—— ὄφρα πελάσσω
Μάρτυρ' ἀναμφήριστον ἐς ὀξυτόρων τύπον ἥλων·
Καὶ παλάμας ἑκάτερθεν ἐμὰς ἴδε·

—— *ut adjungam*
Testem indubitatum in acute fixorum typum clavorum,
Et manus utrinque meas vide. —— -

Manus παλάμας vocat, seu palmas, quo modo debuerat verti, quia ea voce *Nonnus* partem perforatam, de qua inter nos lis, restringit, tanto veriorem, quo difficilius ob arteriarum, venarum tendinumque uberiorem concursum, & periculosius perforabatur carpus. Arteriæ hic unitæ, non nisi in la-

latiori manu disperguntur, & nervi eo loco arctius compacti mortem præter spem acceleraſſent. Quod reponis, *majoris momenti qualibet & arteria & vena, quia teres & lubrica, subduxerit se cuſpidi ferreæ, atque illæsa manſerit*; incredibile Chirurgis videtur imprudentioribus, qui non rarò exili lancettæ cuſpide pro ſecanda vena quieſcente micantem lædunt, unde arteriæ dilatatio ſeu Aneuryſma oritur, quale miſerandum exemplum Neapoli habuimus, ſingulari hiſtoria publicis typis ibidem à me deſcriptum. Quid de militibus rudioribus nobis ſpondemus, qui ſubtiles Chriſti palmas ingentibus clavis perforarunt. Rudiores clavos craſſioreſque nec venæ nec arteriæ effugerunt. Illos pollicali craſſitudine fingunt antiquarii Eccleſiaſtici. Vide *Litheum* Conc. xxx. Adeò fuiſſe longos *Brigitta* Lib. II. Revel. cap. xxI. animadvertit, ut ultra ſtipitem crucis protenderentur. Non aliam magnitudinem

præfert clavus in Ecclesia S. crucis in Hierusalem Romæ inter *κειμήλια* reconditus in Helenæ donantis memoriam, quem suo typo spectatoribus exhibuit *Jac. Bosius* Lib. I. de Cruc. Triumph. cap. XV. & *Corn. Curtius* de Clav. dom. cap. 10. Crassi quoque erant, & exinde ampliata vulnera, ut Thomas digitum inserere potuerit. Exinde nullo negotio & arteriæ rumpi & distendi nervi potuerunt, quorum nihil times, si quidem fatales vulnerum conditiones minus habes perspectas. *Perforatis tendinibus*, inquis, *aut nervis, non fuit necessum consequi mortem inde statim.* Necessum judicant mecum Medicorum Primipili. *Celsus* Lib. II. de Re Med. *Si nervum scalpellus attigit, sequitur nervorum distentio, eaque hominem crudeliter consumit.* Quod infelix nonnullorum in phlebotomiis testatur experientia. Addamus *Actuarium* bonæ monetæ Medicum L. III. Meth. Med. c. I. de nervo non secando: *ne pungatur metus est, si minus circum-*

cum-

cumspecta fiat sectio nervorum. Porrò *punctura, velut antea quoque docuimus, convulsionem, & si negligantur, mortem inferunt.* Concurrit *Ægineta* L. IV. de Re Med. c. LIV. quem vide; si de me dubitas. Exempla petentibus in promptu sunt. Nervus Chirurgi famatissimi errore in brachiis punctus Carolum IX. Gallorum Regem in maximum discrimen adduxisset, nisi opportunis remediis succurrisset *Paræus*, ut testatur ipsus L. IX. c. XXXVIII. Ex levi acus vulnere quandam mortuam prodidit *Galenus*, & ego Neapoli mulierem sibi forte fortuna in genu acum impingentem subito fatis observavi concessisse, ob punctum ibidem nervum, quod in Exercitationibus meis de *Angina Epidemica* annotavi. Nolo monere quid sperandum fuerit ab horrendis clavorum ictibus, si levia acus scalpellique vulnera tantum damni mortalibus inducant. Ne autem de calcaneo contradicendi arripias occasionem, en *Valleriolam* L. III. Enar-

rat. VIII. de Marco Sobiratio juvene Avenionenſe narrantem, ex calcanei vulnere leviore ſpe citius diſceſſiſſe. Unde calcaneo affixos pedes nunquam mihi perſuaſi, ſecus ac in quibuſdam imagunculis eſt cernere, & admittere debent, qui ſuppedaneum negant in erecta cruciarii figura, niſi ſine calcaneo pedes fingas cum nonnullis icunculis ſacris. Digna illis opera quibus in calcaneo cerebrum. Tu verò videris quo modo hanc notam effugias ridiculam, quam ſæverus tibi Viro non inerudito inviderem. Rectius ergo feceris & famæ tuæ conſultius, ſi carpum ad Romanas cryptas remiſeris, quum in manuum medio plagas Meſſiæ prævideritt *Zacharias* vates cap. XIII. comm. VI. Ægrè adduceris ut ſtatuæ illi nuntium remittas, ex qua plurimum ſperaſſes commodi, ſi recti regulam ſuſtinuiſſet. Palmæ Chriſti delicatiores effugientne ruptionem ſublato vehiculo?

§. 10.

§. 10. *An Christi manus callo obductæ.*

SCio te callum manibus Christi affinxisse. Sed olim non permovebar tuis probationibus. Repetis igitur, utpote speciosas, quæ vultum meum iteratum haud erubescant. Verba sunt quibus me alloqueris: *Gratis fingi ais callum in manibus Christi, ducta à fabrili arte conjectura. At Christus an fabrilem artem non exercuit cum Josepho, & ab ejusdem obitu? negent qui voluerint, certiores nos de contrario sumus, & volæ fabris nonne callosæ?* An fabrilem artem cum vitrico Josepho exercuerit valdè dubito justis de causis. Probant nonnulli ex *Marco* cap. VI. comm. III. ubi τέκτων faber seu operarius nuncupatur. Addit *Justinus Martyr.* in Dial. Tryph. aratra fabricasse atque juga, ut per has figuras justitiam doceret, & reapse fugam otii. Consentit *Grotius*, quia 1. seipsum humiliavit.

rat. VIII. de Marco Sobiratio juvene Avenionenſe narrantem, ex calcanei vulnere leviore ſpe citius diſceſſiſſe. Unde calcaneo affixos pedes nunquam mihi perſuaſi, ſecus ac in quibuſdam imagunculis eſt cernere, & admittere debent, qui ſuppedaneum negant in erecta cruciarii figura, niſi ſine calcaneo pedes fingas cum nonnullis icunculis ſacris. Digna illis opera quibus in calcaneo cerebrum. Tu verò videris quo modo hanc notam effugias ridiculam, quam ſæverus tibi Viro non inerudito inviderem. Rectius ergo feceris & famæ tuæ conſultius, ſi carpum ad Romanas cryptas remiſeris, quum in manuum medio plagas Meſſiæ prævidérit *Zacharias* vates cap. XIII. comm. VI. Ægrè adduceris ut ſtatuæ illi nuntium remittas, ex qua plurimum ſperaſſes commodi, ſi recti regulam ſuſtinuiſſet. Palmæ Chriſti delicatiores effugientne ruptionem ſublato vehiculo?

§. 10.

§. 10. *An Christi manus callo obducta.*

Scio te callum manibus Christi affinxisse. Sed olim non permovebar tuis probationibus. Repetis igitur, utpote speciosas, quæ vultum meum iteratum haud erubescant. Verba sunt quibus me alloqueris: *Gratis fingi ais callum in manibus Christi, ducta à fabrili arte conjectura. At Christus an fabrilem artem non exercuit cum Josepho, & ab ejusdem obitu? negent qui voluerint, certiores nos de contrario sumus, & volæ fabris nonne callosæ?* An fabrilem artem cum vitrico Josepho exercuerit valdè dubito justis de causis. Probant nonnulli ex *Marco* cap. VI. comm. III. ubi τέκτων faber seu operarius nuncupatur. Addit *Justinus Martyr.* in Dial. Tryph. aratra fabricasse atque juga, ut per has figuras justitiam doceret, & reapse fugam otii. Consentit *Grotius*, quia 1. seipsum humiliavit.

 2. He-

2. Hebræis lautioribus mos ut adversus omnem fortunæ casum opificium aliquod addiscerent. Reclamant alii, & apud me intercedunt, ut assentiar. Ego autem libenter suspenderem judicium ad evitandas invidorum diras, quanquam cur ad metalla sit damnandus Salvator non assequar infelix. Non eo vitæ proposito carnem mortalium induerat, ut domesticis vacaret exercitationibus, sed ut munere fungeretur Redemptoris. Ne verò otiosum interea fingamus, *Barradius* vester orationibus & jejuniis, non fabrili opere juventutem occupasse autumat, eo nomine à *Richardo Mountacutio* vapulans Part. post. Orig. Eccl. Certum est otio non diffluxisse, sed ad futurum ministerium ætatem teneram instruxisse. Ad quam rem *Paulus Burgensis* addit. 1. in Marcum; *non fuisse otiosum, quum summum gradum attigisset contemplationis, ab omni actione seu exercitio corporali cessasse.* Miracula plurima ante annum

num 30. in ætate puerili edita ab eo dicuntur *Auctori* vett. de *Infantia Servatoris*, qui tamen inter Apocryphos relatus est à *Gelasio* Pontifice Romano. *Grotii* argumenta persuadent nihil. Nam 1. Infinitis aliis modis humilitatem suam probavit Christus. 2 Christo clam non erat ad quod missus esset officium, nec fortunam metuebat, quam regebat. 3. Non unquam urgente necessitate ad opificium hoc recurrebat. Major tamen est *Marci* auctoritas. Fateor. Sed *Marcum* facilè in has partes pertrahemus. Dissentit ille à *Matthæo* cap. XIII, 55. cui non τέκτων est, sed ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, quæ planè diversa. Nam non raro filii diversum vitæ sequuntur institutum. Per contemptum tamen idem vitæ genus parentemque fabrum objiciunt Christo Nazaræi, idque ut plebeia quasi doctrina apud vulgus vilesceret. Ita publicanum alias vocabant, quod in convertendis publicanis sedulo occuparetur, sicut

hic fabrum, quia à fabro educatus. Ingeniosè *Augustinus* Lib. II. de Conſ. Euang. cap. XLII, fabrum ſuſpicatur audiviſſe, *non quod eſſet faber*, aut eam artem exerceret, *ſed tantum fabri filius putaretur*. Neſciebant Nazaræi, quid domi Mariæ actum. Minor ergò eorum conjectura contemptu & invidiâ mixta. Inveniſſent ſanè, niſi rectum judicium invertiſſet malitia, præter laborioſum opificium quod in eo admirarentur. Vitrico vero in artis genere genii indole ſimilem falsò ſuſpicabantur. Quo reſponſo hiſtoriam Libanii Sophiſtæ apud *Theodoretum* Lib. III. hiſt. Eccl. cap. XXIII, dilucidabimus. Eo quippe titulo nare ſuſpendebat acuta Salvatorem Sophiſta, neſcius forſan aliud eſſe fabrum, aliud adoptivum fabri filium. Parum *Hilarius* Can. XIV. in Matth. proficiet, quem ſibi faventem ſuſpicantur. Nam de fabrili arte diſſentit, ferrariam ſuſpicatus, quum meliora pluraque vota pro lignario opificio ſtent. Monſtrat
etiam

etiam-non ex verbis nudis hæc metienda, allegoriam inde his verbis texiturus; *Planè hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem sæculi virtutem judicio decoquentis, massamque formantis in omne opus humanæ vitæ.* Huc collineat quoque *Chrysologus.* Serm. XLVIII. in Matt. *Christus erat fabri filius, sed ejus qui mundi fabricam fecit, non malleo, sed præcepto.* In eandem sententiam ante eum disserens *Ambrosius* Serm. XVI. *de Nat. Dom.* per allegoriam *fabri opificium* ipsi applicat *in spiritualibus. Justinum* non moror in Dialogo cum Tryphone. Hujus, si te imitarer, elevarem fidem. Sed dubia ejus est auctoritas, & verbis *Marci* nimis credula, quia justitiam alia methodo, sicut postea, potuit docere Christus, & invidi [sicut Pagani olim Christianis] exprobrant apud Marcum, quod nunquam forsan seriò sectatus fuerat artificium. Quidsi liberali manu tibi malleum concederem, an inde callum manibus induxit? Novi longo labore exercitatos, si

cautius opificium tractarint, molliores sibi reservasse manus. Neque inducor ut credam, quanquam prius largirer, juniorem Christum cum Vitrico veterano paria in mechanicis fecisse, à quibus duraturum in manibus callum contraheret. Imò callum vix admisit divinitate temperata manus. Maxima enim pulchritudinis laus in manuum splendore, quod in Commentario meo de *Luce Animantium* Lib. I. invenies deductum, à *Junio* lib. de Pictura vett. fusius comprobatum. At Christus *universis pulchrior est*, teste *Hieronymo* Epist. cap. VI. *Virgo de virgine*, qui non ex sanguine tantum, sed ex Deo natus est. Hujus *vox suavis*, ut loqui amat *Bernardus* Serm. v. fest. Sanctor. *& facies decora, sicut scriptum est, speciosus forma præ filiis hominum.* Planè huc quadrat locus *Cantic V. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex mollibus.* Qui & de colore & manuum mollitia manifestè testatur. Si jungas proximè sequentia: *Manus illius torna-*

tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis, nihil ad elegantiam desiderabunt formarum spectatores. Totam Servatoris effigiem *Nicephorus* L. 1. hist. Eccl. cap. ult. accurato penicillo depingit, sicut à veteribus accepit: Summa huc redit: *Egregio eum vividoque fuisse vultu; corporis statura ad palmos prorsus septem; Persimilem denique per omnia divinæ & immaculatæ suæ Genetrici.* Hanc manibus delicatulis enituisse insigni pulchritudinis argumento, non dubitarim, quando quidem sancta genetrix, occupato domesticis curis Josepho, precibus magis occupabatur quam rudiore opere. Staturam de industria ex *Nicephoro* annoto, cujus quoque in templo S. Johannis Lateranensis Romæ mensura extat, quia illam provinciam vides ex Epistolis Eruditissimis de cruce mihi demandatam à Vito sine pari, cujus admiratus sum semper & candorem, diffusæ eruditionis focium, & in edendis oraculis promptitudinem. Tibi verò concesserim, *quanquam formosissimus*

mus fuerit, non ideò curaſſe cuticulam. Debuit id naturæ præſtantioris beneficio, non affectata otioſi induſtria. In reliquis quæ addis, *ſtudiis tempus impendere neceſſum neutiquam habuiſſe*, non me habebis conſentientem. Profecit ille, quia homo, σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ Luc. II. 52. Nec omnia, quia mortale corpus circumduxit, ſcire confeſtim potuit. Ita cenſuit *Cyrillus* l. x. Theſ. cap. VII: *Si Chriſtus qui eſt ſapientia profeciſſe in ſapientiâ ſcribitur, non ipſe, ſed humana proficiebat natura.* Ad hominem quoque reſpexit *Athanaſius* Ser. IV. contr. Ar. *Corporis erat proficere, quo proficiente, profecit in eo divinitatis exhibitio coram illis qui ipſum videbant.* Duodecimo ætatis anno cum Doctoribus magno omnium ſtupore diſputavit, ut vero videatur ſimile legem & Prophetas diligenter pervolutaſſe dum parentes rerum domeſticarum negociis implicarentur. Non enim illum inter Doctos conſeſſum auſim ad miraculum referre, tum quia peracto de-
mum

mum anno xxx, officii Prophetici & Sacerdotalis exordium erat auspicaturus, tum etiam quod miraculorum primum in nuptiis Canæ post baptismum edidisse testis omni exceptione major *Joannes* cap. II. com. XI. persuadet. Otiosus tamen dici non debuit, quia precibus, contemplationique tempus insumpsit. Inter illos nomen profitebatur quibus usque eo nihil ante mortem otiosum est, ut nec fuerit ferè mors otiosa, quod de Stoicis suis fatetur *Seneca* de Vit. Beat. cap. XXVIII. Otium autem hoc domesticum corporis, neutiquam animi, si ocii nomenclaturam meretur, plus profuit mortalium saluti, quam laboriosa parentum industria. Instas; *forma Viros neglecta docet*. Neglecta, fateor, non affectata. Falleris si neglectam formam pro deformi capias. Neglecta est forma quam nulla arte provocamus, sponte naturæ elucentem. Ea nativa pulchritudo bonæ mentis est simulachrum, quemadmodum studiosè incul-

inculcant *Platonici* mei, adeò ut gradus ſit ad Deum, principem pulchri auctorem, & animi ſpecies nihil præter corporea forma, cui naturæ pondus limitesque locorum ſint detracta. Verbo me cum *Dione* expediam, ut Chriſto pulcherrimo applices, forma ſpecioſa eſt ἀριδηλότατον ἀγαθὸν, ἥδιστον θεοῖς, ἥδιστον δὲ ἀνθρώποις. Dic jam cur puriſſimæ Salvatoris animæ, dignum hoc divinitatis domicilium invideas? Compoſitæ comæ intra galeas conduntur. Cur homini ad quietem nato formæ decus dedeceret? Nam illuxit & *Alexandro*, *Ulyſſi*, *Conſtantino* aliisque Martigenis oris corporisque decor. Verum enimverò licet impetraveris calloſas manus, potuit ſanè iſtam cutis duritiem cum ætate depoſuiſſe ab opere deſiſtens. Contra reponis; *Noviſſe te fabrum ferrarium, qui ab annis* XX. *nec eam nec laborioſam aliam factitaverit artem, & calloſas interim retinuiſſe manus.* Benè mehercule factum, quod diuturna ætate obtritas manus faber

faber ille ferrarius ad senium servaverit, quia naturalis munimenti vices callus implet. Christus autem, si quidem

Ferrum exercebat vasto ut Cyclopes in antro,

de quo æquè dubitò atque de tuo effato, juniores manus non ita facilè exiguo opere induravit quin trium annorum induciis ad solitam mollitiem redierint. Ipse fatearis necesse est, *non ita sordidas illas ac duras penitus nunc, ut olim habere manus.* Alia insuper de illo ratio. Vix ab opere abstinent, quanquam instrumenta suspenderint, qui semel arti sese dederunt. Ubique salsamentarius muriam olet, & corium sutor, licet & huic obtusa sit & detrita subula, & ille retia composuerit. Clavos verrucasque imo cornua imitatur callus, quem Græci τύλος vocant, & τύλη, eminens nempe cameli tuber apud *Hesychium*, ad quorum classem ab *AbenSina, Tagaultio* aliisque refer-

refertur. At verrucas uſu detritas non ſemel obſervavi, earumque eradicationem tradidere communi conſilio *P. Ægineta* Lib. III. cap. 59. Lib. IV. cap. 15. Lib. VI. c. 87. *Oribaſius* L. III. de Morb. Cur. c. 55. & L. II. de Virt. ſimpl. Lit. T. *Aëtius* tetr. I. Serm. I. *Scribonius Largus* Comp. CCXXVIII. *Marcellus Empiricus* cap. XXXIV, ne juniores advocem Chirurgos, numero plures. Unde erras non levem errorem qui callum ad cicatrices refers. Toto quippe cœlo differunt. Non abolentur cicatrices, niſi in pueris, annotante *Spigelio*. Calli & verrucæ, ut modo dictum, medicam admittunt manum, & deteruntur. Idque quia cicatrix cutis eſt affectio primaria, quam imitatur. De callo anceps hæreo, an cutem perrumpat. Negans pars non paucis rationum momentis diſſuadet, ſi quidem innoxiè ſecatur, non ſentit, non rubet, nec cruorem profundit ſi cultrum ſentiat, niſi ad cutem devenerit ſectio, adeoque vel cuticulæ inhæret,

vel

vel inter cuticulam cutemque concrescit materia, vel, si duplicem cuticulæ texturam cum *Aquapendente* de Integ. Corp. defendas, in ipsa duplicatura. Ratio non abhorret, quippe exsecantur ex callo veluti multiplex cuticularum contextus sine damno aut sensu doloris. Suntque velut serpentum exuviæ, quas illi ob senium, nos per otium deponimus. Modus denique nascendi illud postulat quod insinuavi. Nam ex observatione *Fallopii* Lib. de Tum. part. cap. XXVII, & cujusvis indagatoris curiosi, nascuntur primum clavi vesica suboriente, qua sibi relicta & exsiccata, callus oritur pellisque indurescit. Idem in callo manuum. A labore excitantur vesiculæ satis interdum conspicuæ, quibus siccatis superveniunt aliæ, donec congeries fiat siccatarum cuticularum ex vesiculis & humore per contritionem attracto. Ne autem aberres nominum ambiguitate, sciendum callum in fistulis planè alterius esse generis. Hunc carnem

nem vocat *Paulus* Lib. VI. cap. 77. solidam, albam & humoris exortem. Quo deceptus *Suidas* τύχον vocat τοῦ ὤμου τὸ τετυλωμένον, καὶ πεπιλημένον τῆς σαρκὸς: *humeri carnem callosam & densatam, qualis in bajulorum humeris sæpe exoritur, quod aliquid assiduè gestent.* Non iverim inficias premi quoque carnem, sed id secundaria fit ratione. Procudunt & ossa sui generis callum, πῶρον *Galeno*, ab hac linea prorsus alienum. Quod ad causam efficientem attinet, me invito ad spiritus confugis. *Confluunt*, ais, *spiritus quasi lacessiti, ad muniendam volam pedum manuumque.* Aliud esse munire volas, aliud incrustare, non diffiteberis. Spiritus roborant quidem manum pedemque, ut hic ambulando, ille apprehendo pares sint, sed callum tantum abest inducant ut benigno potius influxu debeant impedire, nisi de calidioribus aliquid suspiceris. Excrementorum hic est fructus, quæ indurescunt & duriorum corporum attritione cum cuticula comprimuntur.

muntur. Quid autem hinc tibi conficies profuturum? Impediuntne illi ſpiritus ad partem deferri ſoliti, ne recedat iterum callus? Videmus profectò molli manuum contactu robuſtos plurimos, quamvis largior ſpirituum ſit influxio, duris contra manibus calloſisque imbecilliores. Ceſſante labore alibi occupantur ſpiritus. Nihil horum attinet finxiſſe. Diffluit ex ſe callus, quando novæ veſiculæ non generantur. Denſior enim materies inter cuticulas concreta inſtar farinaceæ volatilium abſcedit, veluti inter manus fricanda. Juvant, quos pro te affers Spiritus, ut exſiccatus callus vi caloris diſſipetur, vel benigno humoris concurſu laxetur, in ſimilem ſanæ cuticulæ mollitiem temperatus. Unde friabilis tractu temporis factus callus, quod arbitraris tu, minus oneri corporis reſiſtet, adeoque præclaro illo de calloſis Chriſti manibus invento nihil profeciſti.

§. II. *An*

§. 11. *An cruciarius Christus Spiritibus plenus fuerit & robustus?*

CÆterum nunquam à me obtinebis, emaciatum Servatorem extremis illis martyrii articulis abundasse copia Spirituum, quum vix ossibus hæreret. Quæris; *Passane & manuum interiora? ubinam hoc legitur? nusquam.* Sine dubio passa quoque manuum interiora, quia per patula clavorum vestigia cum largissimo cruoris fluxu spiritus haud parca manu effusi. Divinum de eo oraculum recitat *Esaias* cap. 1. 6. *A plantis pedis usque ad verticem capitis, non erat in eo sanitas, vulnus & livor, & plaga tumens: non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Cutis volæ manus quum sit tenerrima, præ aliis partibus vim doloris vulnerumque citius vehementiusque sentiit. Credisne lædi potuisse exteriora manus, vola salva? Ergone clavi non pertransierunt interiora? Ju-

dæus

dæus ſit, qui id credat. Pergis tamen in eadem linea pro virili, ut Spiritus in deficiente corpore aſtruas: *Annon clamavit voce magna, quum pependiſſet horis in cruce tribus?* Quaſi verò clamor ille magnitudinem virium potius oſtenderit, quam extremi fati viciniam. Exeuntis jamjam & in labiis hærentis animæ hoc indicium. Nunquam clarioribus radiis Sol ſplendet quam jamjam occiduis aquis mergendus. Nota agonizantium altiora ſuſpiria à virium defectu, non muſculorum laryngiſve vigore. Falleris ſi à robore ſpirituum extremas laſſæ animæ voces metiaris. Vocem magnam oriri profitetur *Ariſtoteles* Sect. XI. Probl. III. ex magna frequentique aëris motione. Et in extremo agone fuligines cum ultimo aëre copioſius è pulmonibus fere jam emortuis excluſæ, vocis conatum adjuvant, facileque recurrens ſiniſter nervus, vocis organum, laryngi implantatus, quia exilis ſexti paris ramus, ab

E exili

exili ſpiritu repletur, præſertim quando relictis exterioribus ad interiora cordis reſiduus calor recurrit. Is enim recurrens circa truncum arteriæ deſcendentem, qua ad ſpinam tranſverſus procedit, ante revolvitur quam ad laryngem aſcendat, ut in tranſitu à vicinis cordis vaſis ſpiritu infletur. Quid reponſi dabis ad bovem ſub eviſceratione mugientem, cujus vera eſt traditio & fides? An bos integris viribus exenteratus? Quo denique effugio te contra Illuſtrem *Franciſcum Baconem de Verulamio* ſalvabis? qui de Hiſt. Vit. & Mort. ad Art. xv. n. 32. hominem eviſceratum, poſtquam cor avulſum penitus eſſet, & in carnificis manu, tria aut quatuor verba precum proferentem audivit. Plura moribundis in extrema animæ corporiſque lucta eveniunt ſanis ſimilia quæ à virium dependent imbecillitate, ut jactatio, motus manuum floccos colligentium, fortis dentium compreſſio, emiſſio ſanguinis aut ſeminis, clamor acutus, anhelitus creber & ſex-

ſexcenta alia inſtantis termini indicia, Ita maledici illi apud *Senecam* Vit. Beat. c. xix. *ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuunt*. Non quod robore prævaluerint, ſed petulentia. Simulatis quoque animi corporiſque viribus Bomilcar apud *Juſtinum* Lib. xxii. patibulo ſuffixus, *de ſumma cruce veluti de tribunali in Pœnorum ſcelera concionabatur*. Ne igitur extremus te Salvatoris clamor moveat, quem extorſit anxietudo, non muſculorum ſpirituumve robur jam deperditum. Illud concoquere difficili ſtomacho nequeo, quod me cum *Claudio Salmaſio*, Amico meo ſummo, committas. Rectiſſimè ex mutuo literarum commercio advertis, quod Salmaſii plus tribuam judicio, quam meo. Nec aliter unquam animatus fui. Ubique ille regnat, & plura multiſcio animo complectitur quam ſcire vel velis vel poſſis. Perpetuum inter nos erit amicitiæ fœdus, nulla vi rumpendum. Tecum autem in præſens mihi eſt certamen, non cum illo cui de jure meo ultrò ceſſerim.

Negaſne tu languiſſe Chriſtum crucifi gendum? Nonne languores noſtros ille pertulit *Eſa.* LIII.4. & dolores noſtros ipſe portavit, חָלְיֵנוּ eſt à radice, חָלָה, quod ægrotare notat & infirmari, idque graviſſimo morbo. Nam *Eſa.* XXXVIII, Chizkijak חָלָה ægrotavit ad mortem. Supplicium morboſque lethales pro nobis pertulit, & vice noſtra doluit qui dolorem non merebatur. Vulneratus eſt מְחוֹלָל propter prævaricationes noſtras *Eſa.* LIII. Ubi vulnus retinet *Hieronymus*, ſed per dolorem *R. David* exponit, eumque maximum qui parturientium proprius Id enim indicat radix חוּל. Certè niſi languores doloreſque ſummos, quibus nos contabeſcimus, ſentiiſſet Salvator, quid paſſio ejus nobis profuiſſet? Non habemus pontificem μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, *non potentem compati infirmitatibus noſtris Hebr.* IV, 15. Rationem reddit verbis ſequentibus: Πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάν-

τα

τα καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας: nempe quia ipse omnibus infirmitatibus tentatur, si peccatum excipias. Tentationem enim hanc per ἀσθένειαν interpretatur cap. v, 2. ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περίκειται ἀσθένειαν. Quæ tentatio afflictionis dicitur per doloris sensum, de qua sermo est 1. *Cor.* x, 13. *Hebr.* 11, 18. quippe aliter capitur *Jacob* 1, 2. 1. *Petr.* 1, 6. Ergò μετριοπαθεῖν oportuit per communicatum doloris ægritudinisque nostræ sensum, quo ipse crucifixus afficitur.

Hinc *B. Bernardus* Abbas Clarevallensis in rhythmica cantilena; ad Christi Cor:

Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cum te totum exhaurires.

& p. p. ad faciem ejusdem crucifixi:

Omnis vigor atque viror,
Hinc recessit, non admiror,
Mors apparet in aspectu,

Totus pendens in defectu,
Attritus ægra macie.

Diverſum ſentiit *Juſtinianus* ſectæ novæ circa A. C. 553. conditor Halicarnaſſenſis, qui Chriſti corpus nulli obnoxium mutationi neque affectionibus ullis ſive naturalibus ſive voluntariis, adeoque à conceptionis momento impaſſibile docere ſuſtinuit, referentibus *Jo. Damaſceno* Lib. de hæreſ. & *Evagrio* Lib. IV. cap. XXXVIII. & XXXIX. Sed anathema fuit, tibi quoque metuendum. Strenuè enim ſe oppoſuit *Anaſtaſius* Antiochenus Epiſcopus, diſerte oſtendens, *divinos Apoſtolos & Sanctos Patres confeſſos eſſe, atque adeò tradidiſſe, corpus Domini internecioni eſſe obnoxium & affectionum, quæ ſunt natura in animis impreſſa, quæque reprehenſione carent, particeps.* Ita voluit affici, quum homo eſſet, ut eleganter *Chryſoſtomus* hom. CIV. *Quantum voluit vixit, quando voluit tradidit Spiritum.* Et ſimili ſenſu *Auguſtinus* Serm. XXXI.

de

de Div. *Caput tuum inclinasti, non necessitate, ut debilis, sed potestate ut fortis.* Qui tamen non ita explicandi, quasi moriturus Servator integris fuerit viribus; Sed tota illorum oratio ad voluntatem Christi spectat ultro passionibus humanis se submittentis. Tui sanè me miseret, Vir religiose, quod fructum meritorum passionis non sis percepturus si languores Christi elevas, qui te erigere debebant. Quo modo ex agone emersit, sine virium jactura? aut qua ratione effluxit sanguineus sudor, integro corporis robore? Hic deficientis naturæ agnosce signum, ex doloribus interiorum atrocissimis ortum, ut meritò exclamet *Anselmus* in Specul.Euang. Serm. *Angustias cordis tui dulcissimi indicabat sudor sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua in terra guttatim discurrebat.* Nequaquam salvo naturæ statu purum cruorem exsudavit, præsertim *per guttas crassas & congelatas*, si credimus *Irenæo*, quia frigi-

dam interiorum conditionem labentemque hæ signant, de quibus Hypomnemate IV. Augebat dolorem sudor idem toto corpore diffluens. Ita *Augustinus : Orans cum sudore sanguineo Jesus Christus significabat, de toto corpore, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones.* Concors *Bernardi* sermo Serm. III. de Dom. Palm : *non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur : ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur.* Nolo prolixius catalogum texere pœnarum Christi quibus succubuisset ferè antequam scanderet crucem. Conqueritur ipse sub aliena persona *Job.* XVI. *Concidit me vulnere super vulnus*, & apud *Lactantium*, lacteum illud dicendi os, Carm. de Paff. Domini :

Nunc me, nunc verò desertum extrema sequutum
Supplicia, & dulci procul à genitrice levatum

Ver-

Vertice ad usque pedes me lustra, en aspice crines
Sanguine concretos &c. ———

Nullus unquam mortalium tantas dolendi languendique habuit causas, sive plagas corporis, sive animi motus expendas. A dolore, cruoris effusione, itinere, ligaturis, convitiis, verberibus sexcentis, agone, crucis gestatione & mille aliis tormentis vix ad crucem lassam animam portavit. Refertur huc typico sensu dictum *Job.* xxx: 27. *Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis*, ducta ab olla fervente similitudine, quæ bullit, & contenta omnia ob coctionem à calore hinc inde versat. Id notat רֻתְּחוּ *bullita* sunt, quod *Hieronymus* efferbuisse dixit, à רָתַח *efferbuit, ebullivit coquendo & insonuit.* Interiora viscera sunt; ad quæ fervor hic cruciatuum pervenit. Corque notant & ventriculum, quibus affectis miserrima hominis existit conditio קֶרֶב *omne*

 medium

medium ſignat, & pro cogitatione intima ſumitur ſæpiſſimè. Imò ab aliis, teſte *R. Kimchi*, levi tranſpoſitione, voculæ קֶבֶר ex ſepulchro derivatur, quaſi adeo debilem præviderit Servatorem *Jobus* crucis candidatum, ut ſepulchro vicinior ſit quam vitæ, penè jam exhauſtis viribus.

§. 12. *An rigidæ Chriſti partes frangi potuerint?*

NOndum tamen victas manus das, ſed me urges: *Superfuerint verò nulli etiam Spiritus Chriſto in crucem jam agendo: an non corpus inde ut frigidius ita durius fuiſſet, quam ante?* Ita quidem eveniſſet, ſi frigus cum morte ſemper irreperet, quo nerveæ partes indureſcunt. Quamdiu autem calor vel tantillus adeſt, etiam abſente anima, impeditur rigor. Hinc nervorum tentio & ſtupor ab impedito calidi meatu. Cæterum fuerit durum corpus rigidumque, an ideò ruptioni minus

nus credis idoneam palmam. Notæ duritiei & frigoris glacies & cryſtallus facillimè inſtar vitri franguntur, nullo quippe lentore denſata. Nihil oſſe ſiccius frigidiuſve. Obſervavit nihilominus *S. Coſterus* apud *Nic. Fontanum*, amicum illum tuum & defenſorem, in Obſerv. p. x. xI, grandævam mulierem, cujus membra tactu leviſſimo frangebantur. *Galenus* quoque auctor eſt oſſa quædam ob ſiccitatem in ſabulum ferè nonnunquam reſolvi. Quod ipſum de Chriſto vaticinabatur Regius *Pſaltes* Pſ. CI, 4: *Oßa mea ſicut cremium vel focus aruerunt*, ſeu combuſta ſunt, & *Job.* xxx, 30. *Oſſa mea aruerunt præ caumate ſeu æſtu.* Perinde enim eſt ſive areſceret dicamus, ſive comburi, quia utramque ſignificationem τὸ חָרַר induit, quippe focum ariditas ſubſequitur in incendiis domuum corporiſque. Dabis jam mihi, ni fallor, haud repugnanter, facilius diſſolvi articulos quam rumpi oſſa, ſi tam illi malè cohæreant quam hæc fra-

gilia. Digna tuis auribus est historia *Schenckii* L. v. Obs. XII. ab *Esaia Meichsnero* ipsi communicata. Testatur se puellam vidisse cui & brachia & pedes de corpore deciderunt, perinde ac si ferro amputassent. Quid est quod remoretur Salvatorem, quin idem pendulo illi contingat, si vel suppedaneum vel ἐξέχον denegaveris πῆγμα. Dictat animus te morbidum corpus excepturum. Sed & hoc frustra. Tormenta illa modum excedentia morbi magni vicem implent, quo non æquè fuisset prostratus. Ad hæc data opera notavit *Schenckius* l. d. puellam illam *non diu* laborasse. Addo, si nullum manibus à ruptione periculum, de nihilo veteres Chirurgos in luxatis manibus adeò fuisse sollicitos, ut, quia teneriores, palæstricum modum reponendi adhiberent, reliquis robustioribus methodicum seu per instrumenta, vel organicum. De quorum differentiis & modis accuratè *Oribasius* lib. de Machinamentis *Heliodo-*

rum,

rum, *Galenum*, *Archimedem*, *Nymphodorum*, *Ruffum*, aliosque compilavit. Ego non tantum laboro de nervea substantia rumpenda, quemadmodum suspicaris, quam de metacarpo, qui & scinditur facilè ducta per clavos in longum linea, ob rectum quinque ossiculorum satis gracilium progressum & nervorum manus discessionem. Nam ex quinto, sexto & septimo cervicis paribus & primo secundoque paribus thoracis commiscentur ita initio exortus prope brachium nervi, ut separati deinde in metacarpum & digitos findantur singuli, quo modo & reliqua pergunt ligamenta patulo in longum spatio, nec nisi exiguis nervorum recursibus in internodiis impedito, quæ quidem copula parum intercepta facillimè à clavis robustioribus potuit disrumpi, findique ad digitos vola vix cohærens. Ad oculum id perspicies, si Anatomicas *Vesalii*, *Casserii*, *Bauhini*, *Laurentii*, *Vidii*, *Valverdæ* inspexeris tabulas, cujus videndi operæ compen-

dium facturus adeas nostras in Belgio non semel publicatas. Facilius monstrantur hæc intento digito, quam describuntur, nec jam vacat sculptorem advocare. Ridicula omninò, te indigna *de nervis animalium*, *quibus tot Martyres instar flagellis cæsi*, instantia. Ea flagella ars confecit, quæ sua siccitate & duritie sunt valida. Nec tam nervea erant, quam pellicea ex animalium mactatorum concisa corio. Loraque dicuntur, seu habenæ loreæ, ἱμάσθλη *Nonno* in Joh. Lanosi velleris tæniæ *Apuleio* L. VIII. Met. Et quamvis ex nervis animalium fuerint contexta, tamen cancellata erant, testibus *Eustathio*, *Athenæo*, *Plutarcho*, imò ossibus pecuinis catenata apud *Apulejum* l. d. Unde quidam iis loris cæsi interierunt auctore *Ulpiano* Lib. VIII. de pœn. nec mirum robustiora fuisse quam nervei volæ funiculi.

§. 13.

§. 13. *Manus vulnera perniciosa.*

INgeniosius mihi militum clavos per manus adigentium atrocitatem detestanti ingeris: *quo Judæis instigantibus erant crudeliores, eo magis dederunt operam, ut cruciarentur ipsæ* [manus] *diutius pendulo corpore.* Hic fidem tuam desidero & constantiam, quia contrarios tuæ rationi Judæos scio. Parascheve imminere compertum erat ex lege Moysis. Unde moræ brevitatem in cruce, gravitate suppliciorum compensabant. Imò lanceâ & crurifragio tardiora fata accelerabant, de illa egimus in Dissertatione nostra de *Latere Christi* aperto, crurifragium autem *Euangelica* historia confirmat & *Plinius* lib. XI. c. 45. de genubus idem testatur, unde τὰ σκέλη apud Divinum historicum de genubus accipere videtur *Pavius* Part. 4. de Off. c. 4. A clavis igitur abstinere potuissent, si servari cruciarium

ciarium diutius voluiſſent. Nam de Andrea refert *Abdias* L. III. hiſt. Apoſt. Proconſulem mandaſſe quæſtionariis, ut ligatis manibus & pedibus *non clavis* affixus ſuſpenderetur, quo diutino cruciatu deficeret. Hic igitur Principum Judæorum erat animus, qui Paſcha præ foribus eſſe haud ignorabant. Alia autem militum & plagipatidarum mens, qui, utpote Prætoriani, ex more crucifigendorum, neſcii Ebræorum feſtorum, ita tractabant reos tanquam per aliquot dies permanſuros in cruce, & vel fame vel languore vel rapina avium perituros. Quum igitur clavis teneras manus ſine ullo miſericordiæ ſenſu perfoderint, ad ſublevandam mortem differendamque πῆγμα trunco corporis ſubdere neceſſitas poſtulavit. Quin laceras manus alieno fulcro indiguiſſe ut vel aliquot momentis ſuperſtes eſſet cruciarius plura ſunt quæ ſuſpicionem augeant. Ad inſtitutum Judæorum omnino ſpectabat ut diutius illuderent. In hoc quippe homine inſolitum

ſolitum crudelitatis ſuæ ſtatuerunt exemplum, ut ad vitam vix momentum eſſet ſatis. Alii, cum quibus judicum indulgentia mitius egit, mortem tamen, quanquam crucibus ſoluti, ob hæc volæ vulnera effugere nequiverunt. Ita narrat in Vita ſua *Joſephus*, Titum Imperatorem rogatu ſuo tres Judæos crucifixos, cum quibus antea ipſi conſuetudo fuerat, depoſitos ſtatim diligentiſſimè curari mandaſſe, ſed ex iis duos inter ipſam Medicorum curam obiiſſe, tertio ſolo ſuperſtite. Nos autem quem caſus ſervavit vel carnificis imprudentia, ad exemplum trahimus. Nec Timotheum moramur & Mauram novem diebus in cruce pendentes, *Martyrol.* III. Maii. Vel enim numerum dierum ſcribentis auxit miſericordia, vel levi tantum brachio ſuſpenſi diutius ſupervixere. Credulitatem ſanè meam excedit Victorini, ſub Nerva martyrium paſſi, hiſtoria, quem *Martyrol.* V. Septembr. teſtatur *ſuſpenſum capite deor-*

deorsum per triduum vixisse. Non id S. Petrus Victorino major, obtinuit. Jam apud te deliberabis anne metacarpus discindi potuerit tot clavorum ictibus. Non hi pollicis tantum magnitudine volæ impacti, sed quod majus, obliquis foraminibus. Rationem dicti noli à me exigere, sed à *Domitio Platone* soc. Jes. Theologo cap. v. Consid. III. de dol. corp. Salv. per *Anthonium Dulcken* Carthusianum latina consuetudine donato. Is obliqua vulnera præfigurata docet in Salomonis templo 3 *Reg.* VI. *Fecit Salomon in templo fenestras obliquas.* Quod rectè an oblique dictum, tibi relinquo expendendum. *D. Thomas* III. part quæst. XLVI. Art. VII, in locis nervosis transfixum conjecturavit. Nec aliter cum violentia crassiores clavos intrusere, nisi ut perrumperent & nervos & ligamenta. Aliàs magno vitæ discrimine steterunt vulnera in volis manuum, longè his minora. Ab exiguo & planè contemnendo vulnere in sinistræ manus vola, quod

quod vix ſubditam cuti carnem contigit, *Ludovicum Vives* vita digniſſimum intra ſeptimum diem convulſione derepente orta Montiſpeſſuli concidiſſe vidit *Valleriola* Lib. III. Enarrat. VIII. & fando accepit *Augenius*, Sutorem Petrum ex acus punctura inter unguem & carnem pollicis dextræ manus inflicta mortem oppetiiſſe. Ludovicus pater fidem facit apud *Horat. Augenium* Lib. IX. Conſult. & Epiſt. II. ubi & inter plurimas alias legitur hæc obſervatio, ex vulnere minimi digiti *Ioan. Bapt. Argentinum* Patavii occubuiſſe. De Chriſto jam calculum pone, an minori precio fuerit clavatus. Ruditer eum impia cohors tractavit, & niſi corpori fulcrum ſubdas, quî ſuſtinebunt manus laceræ tenſioni vicinæ. Parum brachia ſublevant, quæ aliis luxata finguntur & inſtar arcus ſumma violentia per funes diſtracta. Non difficilius ex imbecilli articulo manus extrema dimoveretur, præſertim ſumma abhibita vi & laniena. Quod carmine per-

persequitur *Nonnus* Paraphr. in Johan. XIX.

——— ἐπισφίγξαντες ἀνάγκῃ
Πεπταμένας ἑκάτερθε σιδηρείῳ τινὶ δεσμῷ
Χεῖρας. ——— ——— ———

——— — astringentes violentia
Explicatas utrinque ferreo quodam vinculo
Manus ——— ——— ———

Monet etiam pio verius quam vero sensu *Godefridus Lithens* Conc. XXXIII. Sacr. Vespert: *alios dextram tamdiu tendisse, donec clavi loco sese accommodarent, imò sæpius ob molle subjectum mallei ictum fuisse illusum.* Unde *tracti lacerti* in carmine *Lactantii.*

Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos.
——— fossosque pedes, artusque cruentos.

Ex quibus parum quoque in pedibus auxilii, qui cum cruribus continuo flagellorum sensu cruenti, graviore itine-

itinere laſſi, clavorum veſtigiis marcidi, diſtentione & tortura laceri vix ipſos ſe ſuſtinebant, ne totam corporis incumbentis molem nobis imaginemur. Tu, qui Sacræ Sindoni Taurinenſi precium debes ponere agnoſces ſine dubio, quod alii amici tui & convoti profitentur, crebris percuſſionibus tam graviter ſauciatos pedes, ut cernantur quædam vulnera foſſarum inſtar iis non abſimilia quæ in ſacris martyribus ſcorpiones ſoliti fuerant efficere. De iſta videndus *Chiffletius* Eruditiſſimus, aliique. His cave fidem deneges, ne execrationes Eccleſiæ incurras cujus in te patrocinium hoc ſcripto contra *θαυμάσιον Salmaſium* ſuſcepiſti. Ego de reliquis ſecurus nollem tuo exemplo experiaris quam ſit cruciariis commodum ſine pegmatis adminiculo pedibus ſauciis elatiſque ad cœlum manibus infelici ligno affigi. Meliora tibi Viro Docto & perhumano auguror, vel ideò ut permiſſum impetres ſuperiorum, quo per lictores,

quos

quos provocas, in interfecti hominis cadavere facias experimentum. Ego sanè illam hominum nationem aversatus sum semper, nec te parario amicitiam illorum ambiverim. Quidni per carnarium brutorum idem peragas, si quidem oculorum sensum rationibus meis præfers? Ubi autem in brutis volæ manuum pedumque? Frustra erimus, nisi Simias crucifigi jusseris, quarum dissectionem exemplo *Galeni* hominum cadaveribus æquiparant *Julius Alexandrinus* in IV. de Med. Dial. & *Marcus Aurelius Severinus* Part. II. Zootom. c. XVI. Professores notissimi. Sed tuum erit ad Pithecusas mittere, vel insulas illas novas simiarum plenas, ut revertentibus nautis vestris primo vere plurium nobis fiat copia. Nos enim caremus, & parum in tenerioribus iis fido. Levis circumstantium mutatio invertit observationem. Mortui hominis cadaver riget, facileque cervicem sustinet, quod experimento quodam non ita pridem Hafniæ didicimus. Furem quen-

quendam patibulo depoſitum, lictores cruci affixerunt trajectis per volam manuum & pedum plantas clavis, ut accurato penicillo *Caroli van Mander* Regii Apellis, cruciarius vivis coloribus delinearetur. Ubi quidem nullo hypopodio aut vehiculo medio ſubſtrato tam rigido ſenſu pendebat cadaver, ut ne deprimentibus lictoribus cederet. In viventibus diverſa omninò ratio, ubi molliora omnia, præſertim emaciatis. Sin in vivente deſideras fieri periculum, cave cum Herophilo apud *Celſum* Lib. III. cap. IV. de Lancinatoris ſeu Latrocinatoris contendas titulo. Actum erit de genere noſtro, ſi nobis pro erudita curioſitate opus ſit dolore hominis plebeii, & penè ratio doctrinæ intercidet, ſi ſanguine acquiratur. Appoſitè ad propoſitum *Quintilianus*, & eleganter, ut omnia *Decl.* VIII: *Nunquam in alienis viſceribus invenias totum, quod de altero quæras, & alius languor eſt, alius æger.* Si Prometheus es, finge alium Chriſto cruciario per omnia

omnia ſimilem, & experientiæ iſtius ſtabo cadamque. Interea felicior nobis erit experientia, quæ tranſigi ſaltem cum ratione poteſt, donec te monitore aliud in mentem venerit. Valdè enim mihi ſuſpectæ ſunt obſervationes à te in Anti-Critico adductæ, quas hic refricas. Quis ſibi perſuaſerit levi cuticula ſuſtineri pendulos, vel unco unius digiti corpus totum librari? Teſtes præter té adducis nullos, niſi Anonymos, quorum nomina ſupprimis ne de facti veritate inquiramus. Sententiam *Salmaſii* non ſubterfugio, nec tamen erubeſco. Vir eſt cui in literas imperium deferimus. Me quoque haud fucatis amicitiæ indiciis ſibi devinxit amari ſuo merito digniſſimus, illumque diem albo notavi lapillo à quo inter amicos ejus & cultores numeror. Si *contra me*, ut triumfans proclamas, *ſententiam tulit meus Salmaſius pro Nibuſio*, lubens latæ ſententiæ acquievero. Damnatus enim votorum ero. Cæterum non ad alium Judicem literis his di-

dimissoriis appellarim, quam qui me damnasse fertur. *Salmasium* puto, invidendum seculo nomen, quem Jovem lapidem jurarim secundum te litem haud dedisse. Qui enim id potuit Vir Romani Juris callentissimus? Utroque litigatorum præsente dici sententiam oportebat *L. diem proferre*, §. *si quis litigat*, aliisque textibus & rubricis. At te nec novit de nomine tum *Salmasius*, nec ad judicium ejus tristi eras citatus voce. Mentio quidem facta apud ipsum ab amico *Adolfo Vorstio* Medico πολυμαθεστάτῳ de responso *Nic. Fontani* ad propositum de manibus dubium, verum de te narrari fabulam divinare non potuit, quum *Fontani* sit responsum editum Amstelodami forma, ut vocant, quarta, sine ulla nominis tui literula. Sed fuerit hic *Fontanus*, contra quem in Dissertatione mea disputavi, Curator tuus, quo præsente sententiam adversam mihi dixit magnus *Salmasius*, videndum prius qua fide sententiam latam pro te interpreteris, si ignoscis

candidè loquenti, pessima. Partem ex pag. 330. recitas, sed mutilam, tibi faventem, reliqua pro me sicco pede transilis. Concedit Vir Admirabilis manus sufficere sustinendo corpori quamdiu integrum maneat corpus, aut si post aliquot dies de cruce sit detrahendum; negat autem pag. 331. 332. à te subdolè omissis verbis, parem hic fuisse rationem. Verba summi Viri relege, & à vero nihil deprehendes alienum: *Sed cogitandum est*, inquit Salmasius *in hoc supplicio quæsitum maximè fuisse, ut ad exemplum quam diutissime servarentur in cruce corpora cruciariorum. Ut igitur durare ibi possent diutius, opus fuit sustentaculo cui corpus totum incumberet. Dissolutis enim membris computrescere incipientibus, ac dilatatis etiam manuum ulceribus, mole corporis magis magisque deorsum trahente, cadaver intra breve tempus è cruce lapsum decidisset.* Agnoscisne dolum tuum, & imposturam. Christum tanquam per aliquot dies in cruce permansurum affixerunt Præ-

Prætoriani Romanorum milites, cui moræ impares extitere manus nisi supponas vehiculum. Adde Inclytum Virum de integro loquutum esse corpore, ut ego in integrum ejusdem auctoritate restituar. Excipis: *Quid vis amplius, mi Bartholine? neque enim quæstio hic erat nostra, nisi de Christo, qui paucis tantum horis pependit, usitata in Judæis ratione*. Pace tua, gratis hunc morem Judæis affingis. Servile id supplicium Romanis proprium, veteribus Hebræis ignotum, quemadmodum contra *Baronium, Sigonium, Lipsium* jam olim *Casaubonus* Exerc. XVI. n. XVII, obtinuit. Ex quo & Bosii speciosis argumentis ipse satisfacies. Neque illis in more positum primo statim die sepelire crucis reos, quin potius fideles Romanorum subjecti corvis escam relinquebant vel putredine dissolvi, nisi interveniente aliqua causa per clementiam Judicum deponerentur. Quod obtigit Christo non ex Ebræorum consuetudine, sed indulgentia Pilati, tantum venerationis

Paſchati ſacro, Judæorum in gratiam deferentis. Quum igitur gentibus traderetur Salvator, ſeu Romanis militibus ad Prætorium excubantibus, ita ad crucem eſt defixus tanquam diuturna ibidem mora ſponte collapſurus, & quo commodius id fieret, ſcabello vehiculi crucis ſtructuram attemperabant. Hæc quæſtionis inter nos ſuſcitatæ forma & fuit & eſſe debuit.

§. 14. *De Crucis imaginibus.*

HIſce tamen non contentus, tanquam victus, ne ſine memoria videaris cecidiſſe, ad pictores confugis triarios tuos. *Ne multa, ſi manus uſque adeò forent ſciſſiles, nemone à ſeculis* XII. *Anatomicus aut Chirurgus obſervaſſet, monuiſſetque pictores, ſtatuarios, Eccleſiaſticos ipſos, qui moderarentur uſum imaginum in templis publicum?* Res ad penicillum venit, utinam ad controverſiæ finem. Aliò enim me vocant ægri, qui auxilium non in ſciſſili manu ſed inte-

gra

gra ponunt, & jam calvaria amici fracta contusaque cogitationem meam divertit. Argumenti propositi veritatem nunquam illorum sustentabis auctoritate, quibus in colore veritas. Quo pacto à seculis XII. monuissent Anatomici vel Chirurgi, quum inter Christianos pauci hoc sectionis genere floruerint ad nostra usque tempora. Paganis Medicis nemo Christianorum sanorum fidem adhibuisset, quanquam vera monentibus, ob contemptæ crucis metum. Nec ea Anatomicorum unquam fuit eritve auctoritas, ut in recepta Theologorum sententia quidquam ausint immutare. Non suaderem ego, quia utrosque amo. Verum monuerint fortassis Ecclesiasticos. An monentibus obsequium præstiterunt? Credam ubi exemplis similibus persuaseris. An suasu Medicorum in victus ratione solito sunt temperatiores? An conjugium præferunt cælibatui, ex præcepto medentium illis salubrius quibus circa lumbos acrior sanguis copio-

oculis hactenus intuiti sunt? Cur connivent in arte pro lubitu luxuriantibus? Quod si ad nostram ætatem devolvamur, non defuere inter melioris commatis pictores, qui contribulium errorem conati sint emendare, ut de *Rubenio* Antwerpiense notum, quanquam & is in contrarium vitium incurrerit. Sed nihil opus has latebras quærere. Antiquissimæ quippe sacrorum locorum imagunculæ, statuæ & picturæ satis contra te ostendunt, auctores illarum suppedaneum pro necessaria crucis appendice addidisse. *Georg. Caßander* in Epist. ad Rich. Coxium Episcopum Angliæ, eas tabulas suppedaneas non paucas se testatur vidisse, tum in suis locis antiquitus expressas, tum unam insignem in Armenia ultima depictam, quam Armenus quidam Sacerdos in libro sacrarum precum suæ gentis lingua & characteribus descripto secum ferebat. Tabellam eandem pedibus pressit ærea imaguncula *Nicii Erythræi* insignis Viri. Talem monstrat crux *Bangiana*,

& inter thesauros Ecclesiæ S. Salvatoris Ultrajecti alia monstratur, aurea, cum pedibus fulcro innixis, ut ad te quondam perscripsit *Gisbertus Lappius à VVaveren*. Explica etiam tabulas *Bosii*, *Rocca*, *Lipsii*, *Gretzeri*, ut te in viam reducas. Nec enim mihi vacat pictos intueri parietes. Aliis hoc relinquo, qui picturis animum pascunt inanibus.

§. 15. *Epilogus ad Nihusium.*

ATque hæc sunt quæ fugiente calamo tibi doctisque tuis objectionibus reponere fui coactus. Plura dixi quam fortasse postulasti. Sed ea officii mei in te interpretaberis documenta, & amici animi cui non ad lanceam neque dimensionem, ut alibi de amore Symmachus loquitur, verba tribuenda. Cætera autem quæ paragraphis sequentibus contra *Salmasium* protulisti, ut ominosa, non tangam. Nunquam tantus Vir mea indigebit tutela, nisi vel mare destituant pisces, vel aëra aves.

Quæ-

Quæcunque enim erudito calamo ad me perſcripſit ævi miraculum, unico tantum nomine, quod præferunt, immota perſtabunt. Diſplicet inprimis tui cauſa, quod tanti Viri non miratus ſis magis doctrinam, quam oppugnaveris. Marſiæ audacia infelix te potuiſſet terrere, & ſi in conſilium me adhibuiſſes, majori famæ affectatæ ſecuritate publicam veſtrorum cauſam deſeruiſſes, quam alterius, ut credidiſti, detrimento privatam eruditionis cujuſdam ſpeciem oſtentaſſes. Excitabit enim ſi malum animum ſubolfecerit emunctæ naris *Salmaſius* Alexium ſuum domeſticum, cui dicacitatis ſuæ pœnas dedere non pauci. Quæ tuo fient periculo. Monerem tamen, quia tuis rebus volo conſultum, ut amicè cum generoſo *Salmaſii* animo tranſigas, qui nec lædere promptus, nec lædentes ferre. Nullum eſt ſubterfugium, quo §. x. ſeu ultimo, dicta à te contra *Salmaſium* acerbius, ſubducis: *Nec propter Salmaſium ſcribo, Bartholine Doctiſſime,*

ſed propter Georgium Calixtum, qui tibi Germanorum Doctiſſimus, cum hoc enim eſt mihi negotium. Ergone *Calixtum* aperto marte aggredi times, ut per aliorúm latus ipſum pungas, vel alios ad ejus ſuſcites defenſionem? Scio inter vos lites hærere literarias, verum niſi fallit *Calixti* fama, ipſe partibus ſuis deerit nunquam. Ægrè fers, quod ipſum pro Germanorum doctiſſimo habuerim, quia tibi Germano quoque, decedere videtur, quod ipſi acceſſit. Hinc perſpicio quid te ad ſcribendas inimicas paginas animarit. Si malè *Calixtum* tractaſſem benignioribus oculis meam diſſertationem aſpexiſſes, quum illum, ut meretur, laudaverim, me vituperas. Nolo tædioſam doctiſſimi tituli rationem reddere, nec ſuaſeris ipſe, ne aliorum furias excitem. Me clariſſimum vocas & Doctiſſimum. Quod ſi mens tuis verbis foret conſona, nec me, ut doctiſſimum, hoc ſcripto impugnaſſes, nec ut Clariſſimum [Senatorii apud Romanos ordinis Virum,] quia

Cen-

Cenſor non es, loco tentaſſes movere. *Calixto* autem quod tituli iſtius laudem deroges, minus ex candore tuo factum. Homo fama eruditionis & modeſtiæ, quæ virtutes copulatæ Theologum inprimis componunt, non vultu mihi cognitus. Quodnam de eo tulerit judicium candidiſſimus ingeniorum æſtimator *Ger. Jo. Voßius*, hujus loci non eſt recenſere, ne bilem tibi moveam. Optandum ſanè Chriſtiano orbi æquè omnes modeſtos benignoſque ſcriptorum eſſe interpretes, ac doctos. Quod denique inter ſe diverſas Chriſtianorum ſectas compares, mei non eſt arbitrii decernere. Pro neutra parte hic pronuncio, ad alterutram enim vel amore vel odio me ferri obverteres. Nec ad me attinet tantas componere lites. Aurem vellicat Æſculapius meus, & rerum mearum cum diſſidiis *Theßali* & *Galeni* ſatago, nec par ſum Methodicis conciliandis & Dogmaticis, non dicam Empiricis, qui multitudine aſſeclarum vincunt & vulgi applauſu. Sa-

crorum potius myſtas quoſcunque rogarem; ut me de hoc argumento diſſerentem benignè excuſent. Quod mihi ab illis ſpondeo, quibus diſplicet in meam contumeliam eſſe venuſtos. Contra reliquos, qui papulas meas obſervant, ipſi plurimis obſiti ulceribus, meâ innocentiâ me involvam. Non velim tamen à cenſura eruditorum immunis videri, ſi quidquam peccavit feſtinans calamus. Ultimum enim erit candidæ mentis manuſque effugium: Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Quod & tibi in aurem dictum velim, mi *Nihuſi*, ſi quidem hæc σχεδίως congeſta, delicatioribus ſenſibus forſan minus ſint placitura. Religio mihi fuit tegere quæ dolebant, nec ſine animi quodam motu excepi ſiniſtra multorum de me judicia. Tu verò ea mente, qua candidè tecum egi, omnia interpretaberis. Si voto tuo, officio ſaltem meo non defui. Caſſa fide ſint, qui jugiter blandiuntur. Quod in me, nulla parte fucato, nec ames nec deſideres, ſi quidem, ut profiteris, ſa-

lutis

lutis meæ curam geris. Optima illa temporum felicitas, ubi ſentire optimè quæ aliorum virtutibus debes, & quæ ſentias candidè de aliis dicere licet. Sed hæc ad magnum anni Platonici recurſum differuntur. Si mecum ſaperes, poſt hac publicum typographorum damnares metallum, verè nigrum, quod omnibus infelici atramento maculam aſpergit. Amicis literis, ſi quæ ſuperſunt, difficultates inter nos quæſo expediamus nulli reſignandis. Nam ſi ulterius vel tu, vel alii publicè fuerint moleſti, publicè forſan, ſi ocium ita juſſerit, ſilentio me vindicabo. Interea vale, & ſalutem, quam tui prodigus promptè adeò obtuliſti, majoribus apud me votis imprægnatam, cum fœnore recipe. Omnis mea ex Chriſto cruciario ſalus, quem tibi quoque propitium ſincero pectore mecum apprecor.

THOMÆ BARTHOLINI
CASP. F.

DE CRUCE

Hypomnema. II.

De VINO MYRRHATO.

§. 1. *Vinum* Marc. 15. 32. *cur propinatum?*

AD crucem spectat potus in Golgatha Christo oblatus, *Matthæo* XXVII. v. 34. ὄξος hoc est, ut interpretatur Vulgatus, *acetum*, *Marco* verò XV, v. 23. οἶνος ἐσμυρνισμένος. Qualis is fuerit, dictu videtur difficile fronte prima, quum magno inter se distent discrimine οἶνος καὶ ὄξος, χολὴ καὶ σμύρνη & tamen alterutrum vel utrumque oblatum, credere cogimur. Res tamen oppido erit manifesta,

nifesta, si utriusque inter se virtutem ex Medentium præceptis contulerimus, simulque accuratiori judicio expenderimus quo fine propinatus fuerit potus. Stabat ex itinere fessus Servator & erigendæ crucis exspectabat moras. Unde ne vires eum destituerent jam lassum & sitientem, sed majoribus tormentis reservandum, datus potus sive à Judæis adstantibus, ut censuit *Corn. à Lapide*, sive à piis mulierculis, quæ ipsum ex urbe sacra fuerant comitatæ, pietatis plenæ & officii, ut aliis visum *Interpretibus* Judæorum ductum sequutis. Narrat enim *Maimonides*, pleraque omnia ad supplicii apparatum necessaria, ab hominibus piis solita fuisse parari privato sumptu & studio. Has autem feminas fuisse ex *Luc.* XXIII. 27. suspicamur. An acetum vel vinum in hoc censu fuerit, non æquè manifestum, licet utrumque exhiberi potuerit. Vinum plurimorum calculos impetravit, quia reis ad supplicia extrema desti-

deſtinatis vinum dabatur ad ſolatium, more nec apud *Athenienſes* obſoleto, qui ne horrorem ſupplicii attenderent, ad ſupplicium ducendis cibum vinumque largius præbuerunt. Pietatis hoc opus urgetur *Proverb.* xxxi, v. 6: *Date ſiceram mœrentibus*, *& vinum his qui amaro ſunt corde*. Rectè ſiceram vino conjungit, tanquam genus cum ſpecie. Licet enim eo nomine à vino diſtet, quod ſit *omnis potio quæ inebriare extra vitem poteſt*, teſte *Iſidoro* l. xx. Orig. *qualis eſt ſuccus frumenti vel palmarum fructus in liquorem expreſſus, coctiſque frugibus aqua pinguior*; cum quo faciunt Græci *Patres*, qui σίκερα πᾶν τὸ μέθην ἐμποιεῖν δυνάμενον, vocant, οὐκ ὂν δὲ ἐξ ἀμπέλου, quidquid inebriat, excepto eo quod naſcitur ex vite: Tamen vini quoque nomenclaturam obtinuit apud *Plinium* l. xiv. c. 16: *Vinum fit & è ſiliqua Syriaca, & è pyris, malorumque omnibus generibus, ſed è Punicis, cornis, meſpilis, ſorbis, moris ſiccis, nucleis pineis*. In quam ſententiam plura

plura *Dioscorides* lib. v. cap. 32. περὶ ἀπίτου οἴνου. & *cap.* 44. περὶ στροβιλίτου οἴνου. Hebræis idem denotari ex Thargo Chaldæorum annotat, *Heinsius* Cap. v. *Aristarch. Sacr.* Neque sacris solum ea vini virtus innotuit, sed & Medicis nostris, in Syncopes metu, sive cum febre sit, sive sine febre, vinum laudantibus, nam de ipso Syncopes paroxysmo disputant hic à me neutiquam conciliandi. Sola ad rem presentem sufficit *Galeni* auctoritas l. ad *Glauconem* c. 14. ubi in Syncope vino utens modò crasso, modò tenui, modò albo, modò nigro, modò valido, modò aquoso, in hæc verba profatur: *Et si etiam, qui ex siccitate in principiis accessionum Syncopen sunt incursuri, optimum est prævidere, nam si duabus aut tribus horis ante accessionem exhibito cibo, manus ac pedes constringi jusseris, non interibunt. Quod si magnum imminere periculum fueris suspicatus, vinum dare anticipabis, vinumque præsertim in alicam elixatam infusum, quod si aliquid panis ex alica exhibueris,*

idem

idem valebit. At si mediocris Syncope exspectatur, vino parcendum, sufficit enim tunc mala punica aut pyra, aut poma, aut aliquem alium fructum astringentem cibis admiscere. Ex quibus signatis Pergameni verbis liquet manifestè, de vini potu sermonem esse cum futura pertimetur Syncope, non cum jam affligit, deinde quanto tempore ante accessionem sit dandum, tum qua ratione sit exhibendum, non purum, aut simplex, sed infusum in alicam elixatam, vel cum ipso pane ex alica. Rationem *Galeno* in subsidium mittamus. In Syncope præcavenda, quæ timetur, id sedulo procurat Medicus, ea exhibere quæ causis, à quibus dependet, sunt contraria. Illæ quum variæ sint, varium quoque vini requirunt usum. Si humores pituitosi & crassi, tenuioris vini sed calidi veterisque potio erit peropportuna: si calidi & biliosi, aquosum vinum & dilutum conveniet. Si immodicæ evacuationes præcesserunt, sive ex fluxu cruoris nimio, sive aliarum

rum humiditatum, austerum vinum, acerbum, crassum, nigrum commodè opponemus, quia rectè *Abensina* Arabum Doctissimus, *vinum restaurativum est & nutritivum spiritus cordis.* Talis jam erat Salvatoris condicio, ut ex longiori itinere & acceptis plagis, contumeliis, infinitisque animi affectionibus in æternam Syncopen videretur casurus, nisi aliquo vini haustu sublevatus fuisset. Illud autem, ex præcepto *Galeni*, non meracum esse conveniebat, sed aliis permixtum, unde myrrham addiderunt vel fel, de quo mox videbimus, ubi acetum, vocaverimus ad has partes.

§. 2. *Acetum apud* Matth. 27, 34. *quomodo explicandum.*

EUndem sibi hic locum vendicat acetum. Expressam enim apud *Matthæum* τὸ ὄξος vocem legimus, à *Junio* & *Tremellio* per acetum redditam, cujus vice *Marcus* οἶνον reponit & *Vulgatus*

gatus vinum. In his conciliandis jam nunc desudabimus. Fateor eodem acetum jure sitienti Christo offerri potuisse, quo vinum, præsertim si sitis causa ab humiditate & calore in unum conspirante provenerit, hoc enim statu pro optima sitis medela habet acetum *Galenus* l. 1. *de simpl. Med. fac.* c. 32. Quod forsan non ignorans Pescennius Niger Imperator, apud *Spartianum* jussit *neminem in expeditione vinum bibere, sed aceto universos esse contentos.* Quod si ad tormentum homines malè feriati hanc potionem miscuerunt, nota ex *Aëtio*, *Oribasio*, *Celso*, reliquisque priscæ Medicinæ conditoribus, aceti infamia. Quo fortasse crudeles carnifices respexerunt, quos Virginibus Maximæ & Donatillæ in persequutione Valeriani ante supplicium acetum & fel potandum instillasse in *Martyrologio* legimus. Hanc litem ut dirimant nonnulli, duplicem potum ante crucem adscensam Christo propositum arbitrantur, solâ ducti

conjecturâ, vinum à piis mulieribus, acetum ab impia turba. Verum enimverò nulla nos huc compellit necessitas. Acetum in cruce cum spongia dabatur, vinum ante. *Marci clara* περὶ τοῦ οἴνου assertio. Quid autem *Matthæo* fiet, cum suo aceto? Putat *Lud. de Dieu* Annot. ad Matth. τὸ ὄξος potius retinendum, quam τὸν οἶνον, quia hic acetum exhibitum sit solum, quod vinum est acidum. Quanquam in voce mecum ferè consentiat, ut infra videbimus, tale tamen acetum vini nomenclaturam non obtinuit. Aliorum opinio fuit τὸ ὄξος incuria Librariorum pro οἴνῳ in textum *Matthæi* irrepsisse, hacque parte peccasse quoque *Syrum* Interpretem, *S. Chrysostomum*, *Theophylactum*, aliosque. Unde eam vocem in *vinum* commutarunt communi consensu *Vulgata Versio*, *Origenes*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Juvencus*, *Sedulius*, & Euangelium *Ebræum*, testaturque *Theodorus Beza* in vetustissimo suo exemplari legi οἶνον. Ego eam

hujus

hujus loci varietatem neceſſariam non duco, quia, ut ſua ſancto Vati plurium Codicibus firmato conſtet auctoritas, aliter rem explicabo. Si credimus Criticis, ὄξος Græcis vinum eſt factitii ſaporis, quale ὄξος ἑψητὸν apud *Suidam* ἀπὸ φοινίκων, ex palmis, dactyliſque confectum, unde *Beza*, judicii magni Vir, audacter ſcribit, quamvis ὄξος ſcripſerit *Matthæus*, ſignificari tamen *Vinum conditum*. Vinum igitur ὄξος dici poteſt, & hoc loco debet, non unam ob cauſam, vel quia acetum nihil niſi vinum mortuum ex *Galeno* l. 1. *de Simp. Med. fac.* c. 5. & ὀξὺ καταβεβληκῶς οἶνος, ut exponit *Gloßarium* meum manuſcriptum *Plinio* l. XXIII. c. 1. *Vini vitium*: vel quod vinum fuerit vetus & acetoſum. Vinum ſanè vetus & acetum eodem loco tituloque habentur *Oribaſio* l. 1. Synopſ. c. 16. quemadmodum & uvæ immaturæ apud *Aëtium* tetrab. 1. Serm. 1. Quod ſi fumoſum non fuerit, dicamus acidi generis vinum, quale *verdeſca* apud Neapolitanos, & quoddam

aſpri-

asprinum dictum, non quidem nobilius, sed vulgaris sortis, & quoddam Surrentinum, ex uvis acidis, gratissimi saporis, sed maturis expressum. Videtur quidem *Galenus* contrarium nobis obvertere vultum, quum *lib.* adv. *Lycum.* c.4. *acidum vinum secundum naturam* pernegat, *quia si quid his parum acoris accesserit, continuò in acetum mutari.* Sed, si quid ego veloci oculo vidi, non negat *Pergamenus* dari vina per naturam acida, sed id unum agit ut evincat in naturali mutatione quam per sua tempora vinum recipit, nullam dari naturalem mutationem in acidam qualitatem, nam si parum accesserit acoris, mutationem fieri in acetum, quod & vinis acidis evenire didicimus ex fida Incolarum relatione. Jam igitur cujuscunque suppositionis partibus faveamus, vinum acidum Christo propinarunt dato studio. Si ad pœnam, en *Galeni* de uvis acidis, ex quibus vinum acidum, auctoritatem 2. de Alim. fac. c. 9. *Acidæ, austeræque*

non

non huic modo rei, [sc. ad alvum subducendam] *verum etiam coctioni in ventriculo, distributioni ac nutritioni sunt noxiæ: acerbæ verò & acidæ etiamsi suspensæ fuerint diutius, mutationem in dulcius nunquam poterunt assequi, quocirca ipsarum esus perpetuo est cavendus.* Quod de uvis acidis dictum, de vino quoque potest explicari. Quanquam, si pro uvis acidis stare velimus, *Galenus* laudato loco, qui plurimos torsit, non absolutè neget uvas acidas nutrire aut utiles esse, sed minus nutrire quam dulces, quarum usum ait esse tutissimum, quando moderatè sumuntur, quia calidæ sunt, illæ verò frigidæ. Hinc si ad solatium lassi Salvatoris interpretemur potum, acescens vinum in lassitudinibus commendatum memini à *Galeno* 4. de Tuend. San. cap. 6. *Ergò*, inquit *tum hac utendum potione*, nempe oxymelite, mulsa, apomelite, *tum verò ex vinis* iis quæ leviter acescunt. Nam longo orationis contextu capitibus quatuor evicerat, in lassitudina-

tudinariis doloribus, potissimum in lassitudine ulcerosa cum humorum cruditate vinum debere concedi, quod jam de acescente interpretatur strictius. Atque ita vinum in textu sacro *Marci* vindicavimus, ne ὄξος ex *Matthæo* in exilium agatur, amica inter vinum acetumque firmata concordia.

§. 3. *Myrrhinam potionem à Murrhata esse distinguendam.*

DE potu hoc plura restant & Medici & Antiquarii opis indiga. Mixtum enim obtulerunt, & dilutum, non meracum. In qua mixtura turbas etiam video excitari ex diversa *Matthæi Marcique* descriptione. *Matthæus* acetum narrat μετὰ χολῆς μεμιγμένον, bile mixtum. *Marcus* ἐσμυρνισμένον οἶνον, vinum myrrhatum nuncupat. Ergone *bilis* & *Myrrha* pari significationis passu ambulant? Sunt qui credant, inter quos *Beda* & *Strabus*, vinum & myrrha & felle simul fuisse temperatum, & Mat-

Deinde quod murrhinam cum myrrhato potu confundat, quam Christo propinatum ex sacris discimus. Enimverò, ut pro *Plinio* loquar, vulgatius nihil, apud Comicos præsertim, posito genere, mox, quasi diversum, speciem quandam subnectere. Vinum autem cum *Plinio* appellandum docet *Festus*, licet malè cum murrato confundat, à quo deceptus forsan est *Mercurialis*. Ita autem *Festus*: *Murina, genus potionis, quæ Græcè dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant muriolam, quidam murratum vinum.* Consentit in nomine *Hesychius* accuratior vocum antiquarum exactor: Μυῤῥίνην, inquit, ἔνιοι μὲν οἶνον μυῤῥίνην καλοῦσι. Ita etiam cepit *Posidippus* Comicus apud *Athenæum*, μυῤῥίνης δὲ ἢ μυῤῥίνης οἶνος κεῖται παρὰ ποσειδίππῳ. Pro qualibet potione *Plinium* vini nomenclatura abusum esse *Chiffletius* l. 2. Dædal. cap. 19. contendit, quem juvaret *Dioscorides*, sed sine necessitate, quum verum fuerit vinum unguenti odoribus conditum,

ut

ut ex *Polluce* audivimus. Mirum à vitiata *Plinii* lectione ibidem deceptum Virum alioquin doctissimum, ut murrhinam odore myrrhæ conditam crediderit. Si id verum foret, lautissimam potionem Christo hauriendam propinassent, & ab amicis id factum suspiraret, nisi ἐσμυρνισμένον οἶνον, appellasset *D. Marcus*. Myrrha conditum cum illo decantat *Tragœdia* χριστὸς πάσχων, sive ea *Nazianzenum* auctorem habeat, sive alium, quam ita felici cothurno reddidit H. *Grotius*:

Præbetur ægri corporis solatium,
Qui lacrymosis editus myrrhæ comis
Latex amarus dulce condivit merum.

Baronii de vasis murrinis commentum exsibilant omnes, quum preciosiora fuerint; teste *Athenæo* l. XI. ex Copto advecta, quam in suppliciis adhiberi potuerint. Adversarium sibi ex ea conjectura invenit *Is. Casaubonum* Exerc. XVI. cap. 34. qui nec ipse in myrrhæ explicatione satis sapit. Thus enim

quod Judæi reis obtulerunt, pro myrrha accipit. Quo *Drusius* quoque tendit Lib. 1. *Prœterit.* Diversas autem has esse species nemo ignorat, & sapore discriminari.

§. 4. *Myrrhatum vinum quale, & cur propinatum?*

MYrrhâ itaque olim vina condidit antiquitas, quibus, si credimus *Festo*, *Ædiles in sacris utebantur.* Fuitque vel musto injecta myrrha, aut cum vino saccata, quomodo memoriæ prodidit *Plinius* anisum & amygdalas amaras cum vino saccatas ad arcendam ebrietatem. Ita & myrrha cum hirundinis rostri cinere in vino, quod bibitur, inspersa, *securos præstat à temulentia*, eodem auctore L. XXXI. c. 15. Quin somnos ibidem allicit oesypum cum myrrhâ momento in cyathis duobus dilutum, & illi vim καρωτικὴν seu soporiferam inesse *Dioscorides* confirmat. Idem *Anazarbeus* l. 1. cap. 78. laudat

laudat collutionem oris in gingivarum dentiumque vacillante ſtatu, ex myrrha vino diluta. Quod medicamenti potius quam vini potulenti rationem induit. Condiebantur autem vina myrrhâ, ut ætatem diutius ferrent, ſicut ad cadaverum conſervationem eadem fuit adhibita, teſte *Aëtio* Tetr. 4. Serm. 4. c. 123. & ſacra hiſtoria. Cæterum cur Chriſto myrrhatum vinum obtigerit ex dictis quivis divinet prout de animo offerentium ſecum ſtatuerit. Non poſſum illorum commentum albo calculo approbare, qui ex Judæis, interque eos *Rabbi Davide Kimki* in Lib. Rad. morem hunc deducunt morte plectendis amarum potum exhibendi, necis accelerandæ cauſa. Illum morem *Paulus Fagius* aliique ex libris Talmudicis nobis propalarunt, de quo etiam L. XIV. *Maimonides*, qui primus inter Rabbinos nugari deſiit. Enimverò contraria ſive Judæorum impiorum ſive piorum Chriſti comitum erat mens, vino

exhibito myrrhato vel sitim reparatis viribus depellere ut majoribus, quæ instabant pœnis, sufficeret, vel ad æternitatem vitæ, si possibile, consecrare. Ad hæc Hebræi, teste *Galatino* ex libro *Sanhedrim*, thus vino miscebant, nostri myrrham. Illud ad insaniam redigebat crucis candidatos, ut tradit R. *Juchasin* 114. 2. in tr. *Sanhedrin*: *Qui exit ad supplicium potum dant ei granum thuris, quo abripiatur mens ejus.* Cum quo faciunt & Medici nostri. *Dioscorides* L. 1. c. 82. *In secunda valetudine haustum insaniam movet, & largius cum vino haustum interficit.* Nihil tale de myrrhâ proditum veterum monumentis. Alii tamen Christo oblatum vinum myrrhatum persuadent, ut sopirentur sensus. Ita *B. Hieronymus* ad Matth. 27. *Usque hodie Judæi omnes increduli dominicæ resurrectionis aceto & felle potant Jesum, & dant ei vinum Myrrhatum, ut eum consopiant & mala eorum non videat.* Quem morem tangit *Apulejus* l. VIII. *Met. sese multinodis con-*

culcat

culcat ictibus, *Myrrhæ contra præsumptione munitus.* Et lib. x. *Sed obfirmatus Myrrhæ præsumptione, nullis verberibus ac ne ipsi quidem succubuit igni.* Hinc *Nicolaus Faber* in Opuscul. ad Bar. non dubitat quin Ebraicum vocabulum vel Myrrham significet, vel scriptor unde *Galatinus* transtulit, thus pro Myrrha acceperit, quemadmodum ait *Plinius* quosdam voluisse utrumque ex eadem arbore colligi. Sed hoc pacto sublevassent pœnam impii, quam tamen augere satagebant, nisi piorum hæc mens fuerit. *Plinius* sanè lib. XII. c. 15. utriusque differentiam ponit accuratam, quanquam myrrham in iisdem sylvis permixtam thuris arbori tradiderint quidam, cæteros, qui è thuris arbore utrumque nasci crediderunt, mentitos asserit. Dices: nimis amarus potus ex myrrha mixta. Fateor myrrham amarore suo satis inclaruisse. Cœterum notandum vina, quod de Græcis perhibet *Cassiodorus*, odoribus tantum condita, aut marinis

permixtionibus insaporata, & ex rebus etiam amarissimis gulæ delicias vel oculorum in vinis quæsivisse veteres. De aloë *Plinius* l. XIV. c. 6. ubi de Narbonensibus: *Etiam aloën mercantur, qua saporem coloremque adulterant.* *Quod à Plutarcho* in Sympos. & *Arist.* in Probl. observatum quoque memini, ne *Dalechampius* audiatur, de medicato vino hunc locum exponens. *Baronius* quidem in Annal. ad An. Chr. XXXIV. c. 84. vinum hoc myrrhatum aromaticum fuisse scribit, tam sapore quam odore suavissimum: sed in fine *Tomi* X. sententiam revocat. Dubium restat, quod gustare voluerit Salvator, propter ingratum amaroris sensum. Verum aliam abstinentiæ hujus causam afferunt Interpretes. Sive quod ad reprobationem Judæorum respiceret, qui uvæ acerbæ factæ ex vinea Domini, sicut suspicatur *Jac. Bosius* l. 1. de Cruc. c. 16. sive ut ostenderet se ad ferendos crucis dolores eo medicamine non indigere, quæ *Maldonati* Comm.
in

in Matth. est conjectura, sive quod majorem vellet in cruce sitim exspectare, quemadmodum divinavit *Corn. à Lapide* Comm. ad Matth. c. 27. ut nobis mortificationis gulæ & sensuum vivum daret exemplum. Addo ego, accepisse quidem & gustasse, non bibisse, quia *Matth.* XXVI. & *Luc.* XXII. promiserat, non amplius bibiturum se ex fructu vitis, antequam regnum Dei venturum esset.

§. 5. *Quid de* felle *admixto sit sentiendum?*

FEllis tandem mentionem facit *Matthæus*, de quo quæritur, an vino myrrhato permixtum quoque fuerit? Ita arbitratur *Euthymius*, fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, ut acetum quidem loco vini esset, illa vero fragmenta pro buccella panis. Videtur in hanc opinionem conjectus à Vate Lyrico, qui *Psal.* LXVIII. 22. de Christo queritur: *Dederunt in*

escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Cur esca fel? quum hic inter potum referatur. Laborant in nodo solvendo Commentatores. Aliqui escam potius, quam potum probant, si nullo liquore diluatur. Mihi solutu non videtur difficile. Acetum enim ad crucem spectat, ubi sitiebat. Fel ad præsens institutum, quod & escæ & potus vices debebat supplere, ut aliud cibi genus non obtulerint. Non crediderim tamen verum fel, hepatis illud excrementum amarum in potione permixtum, ductus auctoritate *Augustini*, qui l.3. de Cons. Euang. c.XI. *fel*, inquit, *pro amaritudine posuit*. Ita *Syrus* cœpit, vertens מררתא, quod amarorem signat. Et LXX. Interpretes *Prov*.V.4, *Thren*.III,15. לענה h. e. absinthium, per χολὴν reddiderunt, quod hoc loco *Matthæi* imitatus est *Tremellius*. Hebræum *Psal*. LXVIII. ראש latè quoque patet, & *Jer*. XXIII, 15, à LXX, voce πικρῷ vertitur. A *Dano* Interprete Bitter Band. Ita & quod *Deut*. XXIX, 18, dicitur: *Ne sit inter*

vos

vos radix germinans fel & amaritudinem: Apostolus *Ebr* XII, 15. vertit; *μήτις ῥίζα πικρίας ἄνω.* LXX. quoque *ῥίζα ἄνω φύεσα ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ. Chaldæa, Vir cogitans peccata aut superbiam.* Pari pacto quod extat *Deut.* XXXII, 32, botri מְרֹרֹת, *R. David* testatur exponi per *fel*, quod *Vulgata* Versio servavit, *Uva eorum, Uva fellis*, h. e. amarissima, ex *Hieronymi* versione, nam מָרַר est *amarescere, amarum esse.* Quam consuetudinem non refugiunt Latinæ aures. Eleganter Dinarchus adolescens in *Plauti* Truculento Act. 1. Sc. 2. ad meretrices:

In melle sunt linguæ sitæ vestræ atque orationes
Lacteque, corda felle sunt sita [vel lita] *atque acerbo aceto*

Hinc apud *Plinium* l. XXV. c. 6. Centaurion, propter summam amaritudinem, *fel terræ* nominari meruit à Romanis. χολὴ ergò quemvis hic amaro-

 rem

rem designat, sive absinthii, sive fellis, sive myrrhæ, quam ideo hoc loco substituit *Arabs*. Cuncta isto mortis & pœnarum articulo, amaro quodam sensu, quanquam dulcissima se ingerebant. Unde acutè *Grotius*, amarus per se potus Christo, quia in supplicio dabatur. Non ignoro *Jo. Bapt. Helmontium* paradoxum omninò Medicum, verum fel mistum propugnare, quod oblatum sit Salvatori jam doloribus insolitæ passionis delinquenti, & pondere crucis propriæ exantlato, ideoque Judæos fel pro balsamo, vitam conservante agnovisse, ut diutius sub pœnis ante mortem cruciaret. Nec enim bilem amaram semper, quia refert *Franciscus Alvarez* Primates Abyssinos delectari in epulis carne cruda bovina cum salsatura sive condimento fellis proprii. Usus bilis ab eo designatus affinis est *Zerbi* observationi, sed in hoc differt ab omnibus Anatomicis, quod habeat necessariæ partis constitutionem. Quid huic opinio-

ni

ni insit veritatis in *Reformata Anatome* demonstravimus. Biliosi excrementi amarum saporem πικρόχολοι ἄιω satis produnt. Disertè *Act.* 8, 23. χολὴ πικρίας vocatur. Et quicquid Abyssini dicant, pisces quicumque vesiculâ bilis læsâ ob insignem amaroris sensum; palato meo nunquam fuere grati. Luxus tamen, novitatis quadam specie, ingrata quævis commendare solet.

THOMÆ BARTHOLINI

CASP. F.

DE CRVCE

Hypomnema. II.

De

CORONA CHRISTI SPINEA.

VT in eadem crucis linea maneamus, quia maxima mihi ſemper in cruce voluptas, ubi Salvator meus pependit, coronam paucis detexam. *Matthæus* cap. XXVII, v. 29. *Marcus* cap. XV. v. 17. & *Joh.* cap. XIX. v. 2. Στέφανον ἀκάνθινον uno profitentur ore. *Spinam* vertunt omnes, *Syrus*, *Vulgatus*, *Hieronymus*, ſed Spinæ genus non definiunt.

§. I.

§. 1. *Quo fine corona Christo imposita?*

NOtandum primò, in contemptum Christi cruciarii plexam fuisse coronam. Athenis quippe, ut ex Parœmiis veterum advertit *Carolus Paschalius* l. VII. de *Coron.* c. 15. in solemnibus nuptiarum moris fuit, ut puer patrimus & matrimus gestaret spinas cum fructibus quercus, diceretque canistrum ibi positum esse plenum panibus, hinc significans mutationem in melius. Nam spinæ indices erant primi squalloris, quo terra fuit obruta, dum inculta, Glandes pristini cibi. Illudebant eadem corona Christo, quod se Judæorum Regem dixisset. Quo respexit summus Poëta *Casp. Barlæus* in fin. Orat. de Pass.

Spinea regalem tibi cingit adorea frontem,
At pudor humani nominis illa fuit.

Quan-

Quanquam & ad honorem ſpectarit. Ita apud Ciceronem 2. de Divin. in Lyſandri ſtatuæ capite Delphis extitit corona *ex aſperis herbis*, putatque herbam aſperam avium congeſtu, non humano ſatu. Quidquid autem in capite eſt, id coronæ ſimile videri. Eadem hiſtoria apud *Plutarchum* de Orac. Pyth. extat.

Deinde monendum etiam ad pœnam impactos aculeos ſanctiſſimo Salvatoris capiti. Hinc in imagine Chriſti ænea ex Roma ſubterranea nuperis annis eruta obſervavit *Nicius Erythræus* Vir egregiè doctus, quod hærentes capiti ſpinæ, magis Cydaris capitis Perſarum Regum inſignis, quam coronæ geſſerint effigiem, ut eſſent indicio, impios milites illud regiæ coronæ ex ſpinis compactæ genus elegiſſe, quod non tam frontem, cervicem & tempora, quam totum caput acuminibus tranſverberaret. Hinc canit *Bernardus* Abbas Clarevallenſis:

Salve

Salve caput cruentatum,
Totum ſpinis coronatum,
Conquaſſatum vulneratum, &c.

Ex utroque ſuppoſito colligimus, & ignominioſum, non nobile quoddam ſpinæ genus fuiſſe, & peracutum. Illud clarius indicat *Tertullianus* l. de Coron. Mil. *Chriſtus Jeſus quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? ex ſpinis, opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Certè præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt.* Hoc quaſi ex Revelatione *S. Brigittæ* l. I. Revel. c. 10. & l. IV. c. 70. inſinuat, arctiſſimè adeò & profundè impactam capiti, *ut ad medium frontis deſcenderet, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines & oculos & barbam replentibus.* Quod facile credideris, ſi quidem veræ ſunt illæ ſpinæ, quæ in Baſilica S. Cru-

S. Crucis Romæ dono S. Helenæ asservantur, adeò longæ & acutæ, ut crassas aciculas adæquent. Sed ex quo spinæ ordine depromptæ, neque ex statuis, aut picturis crucium, quas hactenus videre contigit, divinaveris, neque ex Interpretibus, apud quos opinionum est dissensus.

§. 2. *An ex Rubo contexta corona?*

RUbum eligunt non pauci, interque eos *Clemens Alexandrinus* c. 8. Pædag. l. 2. ut conferat cum illo in quo Deus apparuit Moysi, mysterium aliquod ex utriusque comparatione observans. Quia attribuit huic spinæ Dominicæ σταφυλὴν seu uvam, quam ipsam rubo adsignat *Theophrastus*. Malè hic sentit, qui cum illo comparat, de quo *Barnabas* D. Pauli comes & æqualis, quia & hic errat dum *Epist. Cathol.* n. VI. ex *Levit.* 16. de hircis qui Christum præfigurarunt: καὶ ἐπιτιθέα-

σιν

τιν ἐπὶ φεύγανον τὸ λεγόμϑμον ῥαχιὴλ, ᾧ καὶ τοὺς βλαςοὺς εἰώθαμϑμ τρώγειν ἐν τῇ χώρᾳ εὑρίσκοντες· οὕτως μόνης τῆς ῥαχῆς οἱ καρποὶ γλυκεῖς εἰσί. Quæ ita *Interpres* vetus reddidit: *Et ponat illam in stirpem, quæ dicitur rubus, cujus & fructus in agris adsumus invenientes manducare hujus stirpis dulces fructus inveniuntur.* Pro ῥαχιὴλ *Isaacus Vossius* Magni Gerardi non impar filius, amicus suspiciendus, qui hunc auctorem ex Codice Medicæo nobis dedit emendatiorem, legit ῥαχιῇ. Nam *Glossæ Herodoti* habent: ῥηχίης φρυγμοῦ, ἡ δέσμης τῶν φρυγμῶν. Rubum vertit *Interpres*, quanquam ῥηχίη omne genus spinæ notet, unde sepes fiunt. Βλαςοὺς reposuit ex manuscriptis, pro βάτους. Sed βλαςὸς est germen, non fructus, sicut vertit vetus *Interpres.* Nam quanquam *Pollux*, βάτον & ῥάχον tanquam diversas nominet, id tamen voluit differre ut genus & speciem. Quidquid sit rubi fructum hic dulcem appellat, quum à *Galeno* l. 2. de Alim. facult. & *Dioscor.* l. 4. c. 37. inter cibos

cibos aſtringentes numeretur. Nam ut ſpinæ hæ ex rubo illo ſint, quo apparuit ignis forma Jehovah, debuit rubus eſſe *frutex ſpinoſus & invalidus, debilis & ſenticoſus*, ut *Philo* Judæus depingit l. 1. de *Vita Moyſis*, quem avis abſque deplumatione intrare non poteſt, ſicut alii Ebræorum explicant, quod ſententiæ Clementis repugnat. Parum eſt quod objicit *Iſ. Caſaubonus* Exerc. ad Bar. 74. adeò multas eſſe ruborum ſpecies, ut inanis atque inutilis labor foret quærere, quænam ſpecies ad coronam hanc fuerit adhibita. Sed levis eſt hæc armatura. Rubi ſpecies duas tantum recenſet *Dioſcorides* l. IV. c. 37, & 38. Rubum vulgaris notitiæ, & Rubum Idæum, Hunc nemo dixerit, quia ſpinas vel nullas habet, vel minores, ut communi ore deſcribunt *Dioſcorides*, *Matthiolus*, *Bauhinus*, *Dodonæus &c.* Illum facilè admittas, quia duris, minacibus, ac aſperis ſpinis apud *Dodonæum* l. 1. Pempt. 6ta, c. 1. communitur. Quod ſi inter

ter Botanicos ſtatutum eſſet Κυνόσβατον huc referri debere, pro illo pugnares facilè. Sed hunc pro Roſa ſylveſtri accipiunt alii, contra quos diſputat *Matthiolus* in l. 1. Dioſc. c. 106. Interim robuſtis eum circa ramos ſpinis deſcribit *Dioſcorides* l. 1. c. 106. & ſecus quam *Plinio* videtur, cum cynorrhodo conjungit *Marcellus*, eumque ſequuti *Monachi* in Meſuen. Ita ſanè *Talmudicis* ſua conſtaret ratio, qui profitente *Schindlero* סְנֶה *Exod.* III, 2. de Spina interpretantur, quæ producit roſam. Ipſi viderint, quomodo defendant. Nam rubus ille in deſertis erat, & ſolis locis, ubi roſarum rarior proventus, adhæc nobilior eſt roſa, quam ut ex ea coronam Servatori texerent, niſi ex Sylveſtri genere fuerit. Imò in conviviis roſea ſerta uſitata, neutiquam in funeralibus. Teſtis *Anacreon*, coronam roſeam Baccho ſociandam, ad capitis refrigerium.

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ,

Τὸ

Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυχον
Κροτάφοισι ἁρμόσαντες.

Hinc *Propertius* l. 3. ut hunc loco plurimorum adducam:

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosâ.

Si credimus *Plutarcho*, magis hæ coronæ sunt κορεφσάσδες, puellares, & ludentibus magis conveniunt virginibus mulieribusque, quam Philosophis, de quibus Antiquarios consulat, cui volupe, nam nos properamus ad alias de spinis conjecturas.

§. 3. *Rhamnus an Rubo substituendus in corona Christi?*

RHamnum rubo substituunt majori, ut videtur, veri specie. Enimverò Rhamni frequentes, rubi verò nulli in Sancta terra hodie peregrinantibus obvii. Unde *Italis* adhuc (præsertim circa Maceratam & Pisaurum, notante *Bellonio.*) *Spina santa* vocatur,

tur, & inter arbores rhamnus præferebatur *Judic.* IX, 14: *dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera super nos.* Addunt, quod vett. Arabes fruticem è quo contexta fuit Corona Christi, *Alhansegi* appellent, quod Latini Interpretes *Coronam spineam* verterunt. Quid, quod Syrus *Jo. Bapt. Ferrarii* Interpres Rhamnum hoc Matthæi loco reposuerit. Hujus sententiæ invenio *Hieronymum* in cap. 3. *Abac. Bellonium* lib. 2. Obs. c. 88. qui vix alias spinas circa Hierosolymam invenit, *Gretzerum* l. 1. de Cruce cap. 12. qui auctoritate *Dioscoridis* l. 1. c. 120. *Theophrasti* aliorumque pro spinis aculeisque acutis rhamni pugnare possent. Cæterum non desunt quæ supra dictis reponantur. Non mirum aut novum plurimorum in Palæstina desiisse copiam, cœli mutationibus, bellorum vicissitudinibus, & indigenarum varietatibus. Ita balsamum, magna olim industria cultum, vix nomen jam apud Orientales retinuit, ut pro opo-

balſamo, oleum nucis muſcatæ loco ἀντιβαλλομένου uti in Theriaces Compoſitione cogamur, niſi rariſſimo caſu aliquid tanquam ex naufragio ad nos deferant mercatores. Quod autem Italicum vulgus rhamnum *ſpinam ſantam* ament appellare, alia, judice laudato *Voſſio* ratio ſubeſt, quanquam imbecillius à vulgi conſuetudine ſit argumentum. Nam contra veneficia amuletum creditur ex traditione *Dioſcoridis* lib. 1. c. 1. 20, valvis feneſtriſque impoſitum. Unde *Nicandro* ἀλεξιάρη, & veteri Poëtæ Græco, quem dono Allatii *Iſ. Voſſius* mecum communicavit, in voce Ῥάμνου:

Πρός τε πόνον κεφαλῆς, καὶ δαίμονας, ἢ δ' ἐπιπομπάς
Πάντα γὰρ ἤδ' ἰάσατο βροτοφθόρου φάρμακον λυγρά.

§. 4.

§. 4. *Spina alba ad spineam coronam electa.*

EAndem vim *Ovidius, Laërtius,* aliique *Spinæ albæ* tribuunt, quam male cum Rhamno confundunt, unde non mirum quod alii ad herbam illam salutarem seu *Spinam albam* divertant ut ex spinis coronæ se subducant. Hujus sententiæ antesignanus *Marcellus Empiricus* c. 23: *Herba*, inquit, *salutaris, id est, spina alba, qua Christus coronatus est, quæ velut uvam habet, lienem leviter in eodem loco perfricata sanabit.* Ita *Cornarius* restituit, quum in ejus manuscripto antea legeretur: *quæ vellattuvam habet.* Amplam hic meretur fidem, non quod ipse antiquissimus, sed quia pleraque à *Scribonio Largo* bona fide exscripsit, Medico Claudii vel Tiberii Cæsarum temporibus florente, quum hæc de Christo fama ejusque mortis genere apud Romanos esset recens. In Spinæ albæ descriptione cum

Clemente Alexandrino convenit, quod velut uvas habeat, h. e. baccas sed nullo succo turgidas. Eam esui aptam quum tradat *Plinius* l. XXI. c. 11. *Spinæ albæ cauliculi inter oblectamenta quandoque gulæ condiuntur:* miror abusos esse milites. Repugnat, quod de herba hæc accipiat Cl. *Salmasius*, ad miraculum Doctus, non frutice, sed & herba aculeata in sertum majori facilitate texi potuit. Veteres Græci ὀξυάκανθαν vocarunt nec ulla hæc differunt notâ, nisi quod illi spinæ folia non decidere testetur *Theoprastus*, quæ in spina alba decidunt. Sed hoc ex regionum situ evenire ostendit *Salmasius*. At λευκάκανθαν *Marcellus* ipse nominat salutarem herbam. Nec aliter *Servius*: *Paliurus, herba asperrima & spinosa, velut spina alba*, nisi herbæ nomenclatura fruticem quoque includat suo ambitu. Mirari nihilo secius subit, cur ad funeralia Christi Spinam albam elegerint, quam nuptiis dicatam *Plinius* auctor est l. XVI. c. 18: *Spina nuptiarum facibus auspi-*

auspicatissima, quoniam inde faces fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut autor est Massurius. Spinam albam hic designari, confirmat eundem morem descripturus *Nonius* de Pop. Rom. vit. l. 2. *Quum à nova nupta ignis in face afferretur foco ejus sumptus, quum fax è Spina alba esset, ut eam puer ingenuus afferret.* Nec eo tantum nomine auspicata olim erat, quod qui Sabinas rapuerant, ex ea faces habuere; sed quod ad omnia alia felix crederetur arbor. Avertere malas noxas existimabatur in domo & villa sata, ex eaque virga lanalis confecta, si credimus *Ovidio & Martiali*, quod de Rhamno alii accipiunt. Ratio ex antiquorum superstitione repetenda, quæ omnes arbores quæ fructum nigrum, aut nigram baccam ferunt, infelicium numero reposuere, albas contra omnes spinas, fructusque albos pro felicibus venerabantur, quod etiam Aspalathi fruticis Spinosi generis altero candido contigit, ut ejus ἀλεξίκακον potestatem de-

prædicet Auctor *Geoponicus* Lib. XV. Ficum nigram inter infelicia accenset Tarquinius Priscus apud *Macrobium* Lib. 3. Saturn. cap. ult. ut & *Alaternum, filicem, Sanguinem.* De Alaterno *Plinius* l. XVI. Quid autem filix, quid sanguis? Filix certè infelix arbor neutiquam est, quia ne arbor quidem dicenda. Aliqui *filicem* in *felicem* commutarunt. Rectius utrumque conjunxerimus levi mutatione, *sanguineum fruticem*, de quo *Plinius* l. XVI. c. 18. qui alibi apud eundem L. XXIV. c. 10. sanguinea virga. *Trago* cornus femina, aliis Pseudocrania, hæc enim baccis est nigris, adeoque infelix. Timida ea fuit veterum superstitio, qui nigra, ut ominosa, aversabantur. Nigra enim in insomniis periculosa pronunciat *Hippocrates* de Insomniis, mortuosque nigris vestibus indutos morbum significare. Apud *Nicephorum* in Jambis Oneirocriticis:

Equos

Equos nigros videre nunquam bonum est.

Et mox:

Corvos intuens, Dæmones esse puta.
Nigra facies longas tristitias adfert.
Niger quis conspectus nuntius est morbi.

Unde Æthiops sub Coss. M. Lepido & Munatio Planco, Brutianis in prælium egressis, à militibus, in porta occurrens, confossus fertur in Romana Historia, ob deformis tincturæ infaustum omen. Candida versa vice faustissima portendebant, & in somniis & triumphis. *Astrampsychus* in Oneir:

Equorum alborum visio, angelorum apparitio est.

Quod argumentum pluribus Lib. 1. *de Luc. Anim.* c. 20. olim deduximus, & ominis rationem, quantum tum licuit, investigavimus. Aliàs felices censebantur arbores, quæ fructus bonos & utiles cujuscunque coloris pro-

ducunt. δένδρεα καλὰ *Theophrastus* eas apud *Homerum* explicat. *Plinio* L. XVI. c. 26. quæ feruntur & fructum ferunt. *Polluci* l. I. Onom. c. 12. κάρπιμα δένδρεα. Quanquam igitur spina alba inter faustissima recenseatur à veteribus, in funestissimo tamen Christi supplicio locum invenire potuit, quod nobis salutaris inde fructus emerserit. Confictam quoque talem coronam in contemptum cruciarii vero fit simile, ut velut ad lætum festum inaugurationis, ad suscipiendum feliciter regnum deduxerit Servatorem pessima mortalium natio. Scilicet ut specioso cruciatuum titulo spectatoribus eluderent, piisque Christi asseclis, ne doleret caput anxium & impiorum judicio subjectum, coronam ex alba spina imposuerunt; quam *Plinius* narrat l. XXV. c. 12. capitis dolores minuere, præsertim semen, quod ex *Ægineta* L. VII. c. 3. *Oribasio* l. XV. Collect. c. I. convulsionem etiam sanat ob tenues calidasque ejus particulas. Spinas verò capiti

piti inimicissimas suo malo expertus est innocentissimus Servator noster, si quidem ἄκανθα illa fuit λευκή.

§. 5. *Iuncum marinum ad coronam spineam non esse sumendum.*

Necdum enim omnibus persuasum, *Juncum marinum* eligentibus, quem Græci ὀξύσχοινον vocant. In horum invenio censu *S. Vincentium*, *Hugonem Cardinalem*, in Joh. *Toletum* & *Pererium*, quibus se strenuè opposuerunt *Baronius* in Annal. ad Ann. Chr. XXXIV. Num. 86. *Casaubonus* Exerc. 74. *Iac. Iansonius* in Vitta Coccinea. *Delrius* Lect. 9. de pass. Nulla quippe est junci species sive *Theophrasto* sive *Dioscoridi* cum spinis memorata. Nam acumen seu thyrsus nomen spinæ nunquam merebitur, nec pungendi vim. Adhæc unam tantum singuli habent cuspidem. At sic quam multis juncis opus fuisset, ut cuspides caput undique ambirent. Addit oculorum te-

ſtimonium *del Rio*, luſtraſſe ſe non ſemel magnam illam coronæ partem quæ Pariſiis in Sancto Sacello aſſervatur, vidiſſe ſe in Hiſpania & in Monaſterio de Spina, & Lovanii & alibi locorum coronæ ſpinas varias, nullas verò illarum quidquam cum junco commune habere, ſed rhamnum omnes vel paliurum oſtentare, & Pariſienſem quidem uni ramo plures ſpinas in latere cohærentes, à junco marino planè alienas, quod & obſervavit *Jac. Boſius* de cruce. Sed quam mereantur ſpinæ illæ, tot Eccleſiarum depoſitum, fidem, meum non eſt judicare. *Caſaubonus* certum deſiderat teſtimonium. Id ſcio tot ubivis locorum, quæ longiori itinere adire licuit, à ſacrorum cuſtodibus monſtrari ſpinas, ut ad Trojanum incendium facilè ſufficerent. *Janſonius* ut juncum marinum expungat, veprem videtur admittere, in quo aries ille *Gen.* XXII, 13. cornibus hæſit. Sed bona Magni Viri venia, fallitur, ſi ibi ſpinas credit.

Per-

Perplexi tantum erant rami, in quibus aries implicitis Cornibus irretiebatur, non ſpinoſi. סְבָךְ à radice eſt סָבַךְ, quæ denſare notat, perplecti. Eademque vox adhibetur de quercu perplexis retium in morem ramis, ex qua pependit Abſolon 2. *Reg.* XVIII. *Interpretes* LXX. Ebræam vocem retinuerunt, ἐν φυτῷ σαβὲκ, per virgultum *Ambroſius* l. 1. de Abrah. c. 8. *Hieronymus* extulerunt, *Aquila* συχνεόν, eodem ſenſu inter ſe complexi virguli, *Symmachus* rete poſuit ad nativæ originis veritatem reſpiciens. Quod verò plantam LXX, & *Athanaſius* appellant, *Theodoretus* nomen eſſe proprium arboris putat, à quo nec *Gennadius* abhorret, nec *Chaldæus,* nec *Syrus. Ambroſius* quoque eadem arbore, lignum crucis præfiguratum exiſtimat, quod veriori ſpecie contra *Janſonium* opinarer, non coronam ſpineam, quæ à virgulto longis paſſibus diſtat. Eſt tamen quod in ſubſidium junci marini pationis mittamus. Etenim, *Auguſtino* teſte,

junco marino Syria abundavit, & acutam cuſpidem habere *Virgilius* fidem facit

— *& acuta cuſpide junci.*

Quo diſcrimine à feminino junco ſeparatur à *Plinio*. Præterea, quod efficaciſſimum, vox πλέξαντες, qua *Matthaeus*, *Marcus*, & *Johannes* utuntur, propriè locum habet in vitilibus, ad quæ juncus eſt accommodatiſſimus. Sed parum labantem ſententiam hæc ſuſtinent, leviſſimo flatu diſſipanda. Etenim Syria pluſcularum herbarum fuit ferax, & adhuc rariorum luxuriat copiâ, quæ tamen ad coronam Chriſti videntur inidoneæ. Abundat quoque Spinoſo Rhamni frutice, ex obſervatione *Bellonii* in Obſ. & Cedris altis, pumilibuſque, quarum folium ſpinoſum eſt, myrtis, & infinitis aliis, ex quibus tamen coronam contextam nemo auſus eſt aſſerere. Juncus autem marinus minimè omnium ad hanc claſſem ſpectat, quia nihil damni Serva-

Servatoris capiti intulisset, quod maximè vulnerare, in animo militum sedebat. Acutam quidem habet cuspidem, sed non quæ lædat magnopere, quum ex acuminato folio cuspis emergat. Nec spina inde dicitur, sed cuspis, secus ac reliqua spinosa, de quibus *Virgilius* Eccl. 5.

Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

Neque ἄκανθα, sed ὄξυχοινος, *Dioscoridi*, ξὺς καὶ ἄκαρπος *Theophrasto*, qui mas est, non quod spinas habeant, sed ob figuram foliorum in acutum fastigiatorum. Πλέκω de viminibus accipitur, vel alia materia, quæ flecti potest, & in coronam necti. In qua classe sunt seu folia seu rami cujuscunque plantæ seu arboris, quæ ob ætatem inflectuntur, sive ex vitilium sint genere, sive spinarum. De spina seu ἀκάνθῳ arbore *Theophrastus* l. IV. hist. Plant. c. 3. tota aculeis horrente etiam in germinibus & foliis. *Flos & pulcher*

aſpectu, ut coronas ex eo facerent. στεφάνους ποιεῖν pari paſſu cum πλέκειν ambulat. Unde ex ſmilace, roſa, ſpina alba, herba hirſuta, iberi, pulegio, amethyſto, quercu, & ſexcentis aliis coronas texuerunt antiqui nullâ prorſus difficultate, in qua vox πλέκειν, fuit admiſſa, ut in coronis publicis & mixtis, quas συνθηματιαίους στεφάνους vocabant, indicat *Ariſtophanes* θεσμοφ:

Ἀλλ᾽ εἰς ἀγορὰν ἄπειμι, δεῖ γὰρ ἀνδράσιν
Πλέξαι στεφάνους συνθηματιαίους εἴκοσιν.

Verum ego in forum abeo: oportet enim viris
Plecti coronas Synthematiæas viginti.

Apud *Hippocratem* noſtrum rami vaſorum ſanguineorum in hepate dicuntur πλεκτανοῦσθαι & alibi πλεκτάναι de cirrhis ſeu nervoſis partibus, quibus oſſa & vicinæ partes circumplicantur. De crinibus notum. 1. *Timoth.* c. 2. v. 9. πλέγματα dicuntur crines intorti mulierum, quorum forma tonſa coronam æmulatur, qualem Monachi in capite

geſtant,

gestant, passim nomine στεφάνα seu coronæ appellatam, cujus ornatus rationem repetunt ex *D. Petro*, sicut *Usserius Armachanus* Vir optime de Ecclesia meritus, docet ex libr. vett. Canonum: *Romani dicunt, quod Petrus primus Clericus tonsurandi* [sive, *Clericorum tonsura*, ut *Cl. Salmasius* ex ingenio divino reposuit] *usus est, gestans in capite imaginem coronæ spineæ Christi.* Quidquid sit, judicandi arbitrium cuivis committo, si quidem, ut verè *Phædrus* l. 4. Fab. 81.

Sua cuique est animi cogitatio,
Colorque propior.

THO-

THOMÆ BARTHOLINI
CASP. F.

DE CRVCE

Hypomnema IV.

De SUDORE SANGUINEO.

SAnguinem ſecundum laborantis naturæ legem ſubinde ex corporibus mortalium exſtillare confirmat *Ariſtoteles* lib. 3. hiſt. Animal. c. 19. & l. 3. Part. anim. c. 5. ejuſque veſtigia premens *Theophraſtus* Ereſius l. de Sudoribus ex Mona Medico: ἤδη δέ τινές φασι καὶ αἱματώδη ἱδρῶσαι, extracto ſcilicet multo è venis humore, crudo & velut ſegregato. In juvene quodam advertit *Actuarius* l. 1. c. 10. globulos ſanguinis in cutem per ſudorem ab æſtu Solis & laborioſo itinere diſtributos. Accedunt no-

vitio-

vitiorum non pauca exempla. Apud *Benivenium* cuidam singulis mensibus per cutem, qua ima jecoris pars subjacet, sanguinis libra quasi ex vena aperta effluebat, quo evacuato nullus discernere poterat, unde evacuatio esset facta. *Fernelio* auctore l. 6. Path. c. 4. interdum sanguis animadvertitur ab extremis venis quæ in cutem desinunt multis è locis effundi, nullo ardore livescentibus. De Præfecto Montismarini *Thuanus* lib. 11. Hist. cum in obsidione ejus ab Augusto, Saluciarum Principis filio notho, quasi ad colloquium fuisset vocatus & captivus detentus, morsque interminata nisi locum redderet; tantopere indignæ mortis metu affectum esse, ut sanguineum sudorem toto corpore fuderit. *Zacutus Lusitanus* lib. 3. Prax. Adm. Obs. 72. criticum sudorem describit in animoso viro, quadrato, succulento, & benè educato, sed febri tum sanguinea laborante, quam natura, antequam exspectaret artis opem, persanabat.

nabat oborto ſudore ſanguineo, aliquando in quinto, ſexto, aut ſeptimo morbi die. Huncque per diapedeſin è toto calidiſſimum, & fervido igneoque Spiritu permixtum, biduo ſenſim, ac ſine ſenſu emanaſſe, nam exeunte ſanguine pruritus ingens per totam corporis ſuperficiem ſentiebatur. Exitioſum autem in peſte cenſetur, teſte *Georg. Agricola* l. 2. de Peſte, qua correpti triduo circa caput ſanguinem excluſerunt. Sua experientia *Zacutus* id comprobat l. 3. Prax. Adm. Obſ. 40. Quidam in truculenta lue toto corporis habitu livido facto, biduo per totum corpus ſudorem ſanguineum ob debilitatem retentricis excreverunt. Sudoris ad ruborem vergentis fit mentio apud *Alsharavium* Araben lib. Prax. ſ. 2. tr. 31. cap. 19. & ipſe non paucos novi, qui quotiens ſudant levi etiam de cauſa, induſium ſub alis ſanguineo colore tingunt. Arte ſimiles ſanguinis per cutem eruptiones provocantur. Refert *Petrus*
de

de Osma ad *Monardem*, se in loco Peruano, dicto Pasto Indum quendam vidisse, qui quosvis morbos curavit succo cujusdam herbæ, juncturis dolentibusque partibus illito, quo per easdem partes sanguis purus eliciebatur. Narrat quoque *Tulpius* l. 2. Obs. Med. c. 31. virgini annosæ, sed summè melancholicæ, ob induratum lienem, emolliens ceratum elicuisse tantum sanguinis per exilia cutis foramina, ut necesse fuerit cum viro erudito *Arnoldo Tholingio* impetum ipsius seriò compescere. Quumque aliis humoribus tingatur subinde serum in sudoribus, ut bile &c. unde sudores flavi, & virides apud *Abensina*; quid mirum sanguinem idem non rarò tentare. Ad totum cutis ambitum effervescere, variolæ docent & morbilli, aliaque corporis exanthemata, imo Phlegmone, Erysipelas Phlegmonodes aliaque hujus generis, quibus exitus pateret, nisi cuticulæ densioris remora obstaret. Particularem cutis sudorem si attexas,

pro

pro ſanguineo ſudore res erit confecta. Ex papilla mammæ ſiniſtræ exivit ſanguis *Lauræ de Cizzolis* Mantuanæ apud *Donatum*. Oculos profudiſſe ſimilem humiditatem in lacrymis ſanguineis de Maria Virgine teſtatur *Theophylactus* & de muliere Luſitana *Conimbricenſis Epiſcopus*, unde oculorum uſus illi deperditus, & de virgine quadam ſexdecim annorum, cui menſes non ſuccedebant, auctor eſt *Dodonæus* in Obſ. Med. nonnunquam ex gingivis exſudat ſanguis, quod *Hippocrates* in Coacis peſtiferum vocat ſignum, aſſimilatque ſudori cruento *L. Duretus* inſignis commentator. Per eaſdem menſes effundi obſervavit *Zacutus*. In Viris quoque *Amatus* Cent. 5. Cur. 3. *Julius Alexandrinus* Annot. ad l. 7. Therap. Imò quendam è medio ſuſtulit largior ejus fluxus ex obſervatione *Hollerii* in Aph. & Coac. Quid, quod per minimum manus digitum & annularem ſiniſtrum profundi menſes ter viderit *Mercatus* l. 1. de

Aff.

Aff. Mul. c. 7. Non ita pridem ancillæ Hafnienſi menſes ex pede profluxere ſolitis vicibus. Aliam matronam honeſtam & pulchram novi, cui, ſi leviter, tempore menſtruorum, cutem ſeu faciei ſeu manus ſiniſtræ fricet, cum ſaltu guttulæ ſanguineæ proliciuntur. Catharinæ filiæ Smetii aliquoties ſponte ſua ex nævo genitivo ſanguis copioſe proſiliit, apud *Smetium* l. x. *Miſc.* Alia omitto, ab aliis diligenter notata, nec repeto ordinatum menſtrui ſanguinis fluxum, quanquam ex utero prodeat, nullam tamen hic diverſam habere conditionem. Rationem ipſam ſi ad partes vocaverimus, in ſudoris ſanguinei veritatem nos perducet. Non una ea eſt. Interdum enim pori toto corpore pervii, ita dilatantur, ut data hac porta ruat liquidior ſanguis. Dilatantur autem à calore ſive externo ſive interno. A fervidorum ſpirituum influxu deducit *Auctor* libri de *Util. Reſp.* [licet diſſentiat *Marcellus*

cellus Donatus lib. 1. hist. Med. c. 2.] Quippe interiori corpore concitato motu vel alia re calente, spiritus ad cutem confluunt. Exterior autem seu Solis seu ignis calor poros de facili reserat, ut æstas docet, quando frequenti sudore diffluimus. Hinc frictionibus in cute excitato calore pervium fit corpus. Utrumque exemplo juvenis confirmat *Actuarius*, qui ab æstu Solis & itinere oneroso sanguineum sudorem profudit. Ex eadem causa dependet & cutis raritas, pluribusque poris pervia cuticula, sive naturâ sive arte. Hinc sanguinem tenuem requirimus & ichorosum, ut facilius exsudare queat, qualis plerumque melancholicorum est, qui frequentius ideò spuunt, ut scorbutici nostri, Hypochondriaci, vomitu sanguinis & hæmorrhagiis non rarò obnoxii, quique præ molestia animi tenuem sanguinem igneo calore extenuatum exprimunt, ut optimè judicat *Cardanus*. Prioris rationis meminit *Aristoteles* 3. hist. ani-

animal. cap. 19. *Si sanguis immodicè humescit, morbus infestat, sic enim in speciem saniei diluitur, & adeò serescit, ut jam nonnulli sudore cruento exsudarint.* Utrumque tangit *Cælius Rhodiginus* l. 5. Ant. Lect. cap. 2. quanquam non Medicus, eruditè tamen approbans sanguineum sudorem, causamque referens in pravitates constitutionis corporis, laxiore eo existente, & sanguine valdè humido aquosove, ex insiti caloris imbecillitate. Oscula deinde arteriarum in cutem hiantia sunt addenda, quæ si vel amplientur vel erodantur à sero acri, calore fervente vel quavis alia causa, sanguini transitum exitumque largiuntur. Juncta hæc in studioso agnoscit *Rondeletius* l. de dign. morb. c. 11. *Per poros*, inquit, *cutis etiam sudor quidam serosus sanguineus rejectus fluit, aliquando visus à nobis in studioso quodam; Is ab omnibus corporis partibus sanguinem seorsum resudabat, ob venarum raritatem & osculorum illarum laxitatem, & sanguinis tenuitatem.* Denique

nique operas mutuas tradunt imbecillitas retentricis & expultricis partium fortitudo. Hinc *Fernelius* l. d. ab hepatico affectu fieri cruoris transudationem suspicatur, cujus dejectiones quoque *Galenus* 8. L. Aff. 6. alibique, *ἰχῶρας λεπτοὺς καὶ αἱματώδεις* vocat. Tandem quum sudoris sanguinisque commercium agnoscat *Galenus* l. de V. S. c. 7. excitatoque sudore diminui sanguinem, quis dubitabit sudoris aquosi vices, subinde sanguinem implere. Eandem urinæ & sudoris esse materiam idem prodidit verissimè 10. *de simp. Med. fac.* At cruorem mejunt non pauci. Exempla subministrat, *Smetius*, *Schenkius*, & in quavis Republicâ sunt obvia quotidie. Diversus tamen ab hac classe videtur *Salvatoris* sudor, quia *grumosus* dicitur, non liquidus, ad fluendum alioquin aptus, & *solus sanguis* fluxit, quem purum aliàs non solet natura excernere. Quod verò *Jo. Bapt. Sylvaticus* Contr. 5. miraculum inde astruat, quod sudor

dor morbum præſupponat, Chriſtus autem morbis non fuerit obnoxius, fruſtra laborat. Pertulit enim ille infirmitates noſtras, & ob varias animi corporiſque ægritudines morbis extrema jam vitæ periodo ſe ſubjecit, ſicut in Diſſertatione de Latere Chriſti, & De Cruce Hypomnem. I. obtinuimus. Sicque emaciato corpore & variè divexato, vigiliis, itineribus, jejuniis, angoribus, metu rerum futurarum & mille malis, non mirum ſi ſeroſi melancholicique ſanguinis congeſſerit proventum, qui, natura debili non repugnante per ſudorem fuit expreſſus. Teſte *Gualthero* Comm. in Lucam, aliqui non verum fuiſſe cruoris ſudorem ſuſpicati, per hyperbolen extremum deſcribi dolorem aſſeverant. Pro quibus ſicut non libenter pugnaverim, ita damnandi omninò falſi criminis *Pelagiani*, qui hunc locum, vero Chriſti corpori faventem, olim expunxerunt. Moderatior *Grotius* Annot. ad Luc. nihil hic eſſe fate-

tur unde certo colligas ſudori huic ſanguinem fuiſſe permixtum. Nam, ut *Theophylactus* & *Euthymius* ex ipſo textu notant, non dictum eſt, ἐγένετο ἱδρὼς αἵματος, ſed ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, *ſicut* grumi ſanguinis, ut verum quidem ſudorem demonſtrent, non tenuem, ſed craſſum, quales eſſe ſolent grumi ſanguinis. *Juſtinus* pariter colloquio cum Tryphone, omiſſa ſanguinis mentione, grumos tantum vocat: ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου. Juſtinus tamen non favet *Grotio*, quia ὡσεὶ excluderet etiam verum ſudorem grumoſum, niſi θρόμβους de ſanguineis grumis accipiamus. Adhæc θρόμβοι grumos ſanguinis denotant apud *Coum* 4. *Aph.* 80, ſine additione τοῦ αἵματος, niſi illud καὶ, per ἢ exponas, & θρόμβοι πεπηγότες, ſanguinis grumi concreti ex utero effuſi lib. 4. *Epid.* Sed meo judicio minus firma eſt *Grotii* conjectura. Ὡσεὶ enim particula non ſemper diverſitatem ſignat, ſed, ut barbarè loquar, identitatem,

tatem, nec quomodo aqua ſeu ſudor ſimplex in grumos concreſcere poſſit, ſatis aſſequor, niſi id à frigore congelante fingamus. Hinc rectè *D. Lucas* τὸ αἷμα addidit, ne dubitandi eſſet occaſio, quia etiam θρόμβοι χολῆς πεπηγότες bilis grumi concreti dicuntur *Coo* l. 2. de *Morb.* & οὖρα θρομβώδεα, urinæ grumoſæ 4. Aph. 69. & θρομβώδης ἔμετος, vomitus grumoſus in *Coac. Prænot.* Idem de lactis grumis uſurpatur, notante *Gorræo.* Sanguis igitur liquidior, qui teſte *Luca* ſtillabat in terram, quemque per *guttas* exponunt *Verſiones* pleræque, ſecundum naturæ in Chriſto jam laborantis conditionem explicandus, quod per effervefcentiam charitatis factum, ſi credimus *Hier. Bardo* in Med. Cathol. ut incenderetur cruor. Condenſabatur autem in trombos ex conſequenti, quum terram attingeret, ab aëre noctis frigidiſſimo per antiperiſtaſin, & frigiditate peccatorum, & ſomno diſcipulorum. Θρομβεῖον enim ſanguis dicitur apud

Medicos concretus, extra vasa effusus, & θρόμβωσις sanguinis affectio, quando is collisa vena à gravi aliquo contundente, in spacia vicina effusus nigrescit, & in grumos coit, auctore *Galeno* Comm. 2. in lib. de Fract. Rem omnem ut in pauca contraham, sanguis ob dictas causas in Christo fluidior confertim fluebat ex corpore in sudores soluto, mox ab aëre frigido in grumos concretus terram tinxit. Ita innocentissimus mortalium, sed nostris vitiis onustus, omnia calamitatum genera est expertus, anxioque sudore diffluens cruentata nostra vitia expiavit; unde cum *Fortunato* suspiramus:

Pœna fortis tuæ mortis,
Et sanguinis effusio
Corda terant, ut te quærant,
Jesu nostra redemptio.

FINIS.

BAR-

BARTOLDI NIHVSII

DE CRVCE

EPISTOLA

AD

THOMAM BARTHOLINVM.

THOMÆ BARTHOLINO, MEDICO, S. P. D.

BARTOLDUS NIHUSIUS.

I. DE latere Christi aperto dissertatio tua, vir clarissime, præbita est nudius tertius mihi ab amico, scire avente, quid sentiam, quum nomen ibi meum subinde lectori fiat obvium. Depromam eorum, quæ in mentem veniunt, paucula: non certare paratus tamen, sed ansam daturus, ut veritas evadat magis conspicua: quem tibi propositum quoque scopum esse, video, & laudo. *Gregorius Turonensis*, inquis [1], *Helena florens seculo, inventioni crucis sanctæ interesse potuit circa annum Christi* CCCXXVI. Vellem, tibi id non excidisset: nam Gregorius ille obiit anno IↃXCVI;

[1] *Pag.* 74.

quod post multos alios, & ipse in meo suggesseram Anticritico: atque igitur, si septuagenarius tunc erat (quot annorum autem fuerit, non vacat jam inquirere,) non nisi seculis demum integris duobus post fuit natus, quàm repererat Helena sanctam Crucem. Sed mitto istud; gnarus, & allucinari me posse. Scribit Irenæus, esse *extremitatum crucis unam in medio, ubi requiescat, qui clavis affigitur.* Monui parenthesi quapiam obiter, & eum posse dici *requiescere*, qui pedibus premat hypopodion, jam jam affigendus, vel etiam recens affixus: addere licuisset; sive affixus manibus ille fuerit antemnæ, sive pedibus etiam pegmati ei suppedaneo: nempe quia, si solum pendeat à clavis, graviores utrobique dolores ipse sentiat; sin vero stet, levamen dolorum aliquod percipiens, eatenus requiescat, saltem initio, fatigatis necdum stando cruribus: utut quietem ejus non quæreret lictor, sed sequeretur tantum consuetudinem aut

modum

modum sibi præscriptum. Ais tu [1]: *nativæ quietis nationi id repugnare; non enim quiescere qui pedibus innitatur; quod tum maxime ob distentionem delassentur musculi*; item, *requiescere non dici in pedes erectum, sed qui majorem corporis solidi molem aliquo fulcro sublevet*. Mi Bartholine; mentem nostram non fuisti assequutus. de eo enim sermo est, qui *affigitur* (ut & habet Irenæi verbum,) aut affixus est primulum; non de illo, qui, postquam fuit affixus, deficere viribus cœperit, ut erectus ultra stare nequeat, sed pendere tantum cogatur: &, numquid non, quem sedendi, vel etiam culcitis incubandi, maxima ceperit satietas, quiescit, insistens denique pedibus, aut insuper excurrens? numquid non in labore est requies homini industrio? Sed & hoc valeat; quum nec minùs exigui sit momenti. Ad rem ipsam veniamus.

II. Neque de sedili Christi in cruce, neque de hypopodio, meum tuli judi-

[1] *Ibid.*

cium, sed contineo suspensum hactenus. Cur verò? Quia, licet sedile id agnitum Justino Martyri, Irenæo, ac Tertulliano, fuisse sciverit ex eorum scriptis Ecclesia, sive ea scripta sic intellexerit; quod esse posse non nego; non tamen isthæc testimonia recepit unquam, aut existimavit esse certa, sed solum puris putis conjecturis accensuit: quod ipsum & iteratò asserui, tum in Parergo de Juris Romani in scholas & fora reductione, tum in Obelo: qui nunc adstipulantem insuper mihi adduco experientiam, & quidem toti mundo notam; quis enim nesciat, Ecclesiam à tot jam seculis effigiare Christum crucifixum solitam equidem, sed sine vectabulo isto? Quia item, licet hypopodion tradatur à Gregorio Turonensi, atque etiam à compluribus per Orientem & Occidentem Christianis repræsentari consueverit, indeque magis mereatur acceptari credulis mentibus, quàm, quod diximus, sedile; necdum Ecclesia tamen, atte-

testa-

testationes eas firmas esse, pronunciavit unquam aut deprehendit; immo potius ab eodem suppedaneo abstinet ut plurimum hucusque; permittens tantummodo quibusdam illud locis, quum nil deroget fidei & religioni Christianæ. Quia denique manus Christi tutæ à laceratione fuerunt, corpore non aliunde sustentato; & sic neque sedilis neque hypopodii opem postulavit necessitas ulla. Quibus tamen tribus meis rationibus nuncium remittam lubens, ubi fuero doctus meliora.

III. Demonstrasne tu, testes irrefragibiles de sedili esse Justinum, Irenæum, ac Tertullianum, nec non de hypopodio Gregorium Turonensem aliosve? Nihil minus. Profers tantum eos in medium. quod mihi non sufficit; ut cui testimonia vetera, quantumvis optime nota semper extiterint, nequaquam tamen satis authentica sunt, quia nunquam recepta, aut aliquo loco multum habita, ab Ecclesia. Ratio nostra tertia tibi non satisfacit, ut vi-

deo. Ais[1] si, quæ pro me attuli in Anticritico, vera sint, *actum de suppedaneo quoque esse, cui tamen clarior & Nihusii &, juxta alios, vetustatis adsistat auctoritas.* Esto, inquam ego; sive nulla suppetat ratio, quæ cogat nos admittere illud hypopodion: prorsus nihil hoc officit mihi; qui lubens largior, sic esse. Ais[2] porro, in exemplum adductos à nobis fuisse homines robustos; at verò Christum, suppliciis prævüs fractum, ægerrimam traxisse vitam & laceros artus. *Augebat* (judice te[3]) *suspendii difficultatem, quod manus transfixæ sint nullo misericordiæ discrimine, & quocunque manus loco inciderent clavi, facilis ad rupturam via. Quamvis enim & juncturas cartilago jungat, & metacarpum ligamenta firmiora connectant arctius; tamen longiore, ut dixi, martyrio vix cohærentia cerneres membra, & quasi distracta. rupta erant antequam à clavis dilacerarentur, quum jam fere universum corpus spiritus reliquisset, nullo à musculis vicinis*

[1] Pag. 80. [2] Ibidem. [3] Pag. 81.

cinis tegentibusque auxilio firmatum. caro enim flaccescens scinditur non difficulter; & ordinata ligamentorum in manu series lacerata clavos fefellisset, quanquam callum obduxisset exterior pellicula, quod de formosissimo corpore gratis fingit ducta à fabrili arte conjectura. enimvero, post sacrum lavacrum pluribus annis ab opere fabrili abstinens, detrivit obductam crassitie cutem. & postea: *Nec fidem adhibeo imagini illi ex ære in cryptis Romanis à Jani Nicii Erythræi fratre non ita pridem productæ, ubi Christi non metacarpus seu vola, sed carpus, clavis conspicitur trajectus. repugnat enim sacræ Thomæ historiæ, quæ constanter χεῖρας, manus, negat. jam vero nec* (transfossum) *carpum ideo admiserim, quandoquidem arteriarum venarumque tendinumque uberior ibi concursus; quibus læsis sanguine calidiore exiliente, nervorumque distentione, cita mors spe citius irrepsisset.* Enimvero, ut inverso eo respondeam ordine;

I 7 qua-

1 *Pag* 83.

quanam sodes in re detrectas adhibere fidem imagini Romanæ? negasne, esse & repertam in cryptis & antiquam? at quæ ratio negandi? negasne, Christi carpum clavis fuisse perfossum, ut ibi expressum conspicitur, nega, quantum lubuerit; nihil id mihi obest; ut qui & ipse proclamo, rem esse illam incertissimam; ac proinde solum ideo mentionem istius imaginis hîc injeci, ut indicarem, videri & fabricatoribus ejusdem vetustis manus non creditas fuisse sustinendæ corporis moli pares, nisi clavi transierint carpum: nil, inquam, aliud (quantum hanc quidem attinet quæstionem,) volui. Quanquam nec evincis, repugnare id historiæ Euangelicæ. quidni enim trajecto carpo, manus transfixa recte nuncupetur, quum carpus extrema sit pars manûs, quippe cum ea mobilis, & sic magis ad ipsam pertinens, quam ad lacertum? Sit ibi quoque arteriarum & venarum tendinumque concursus ille; at ma-

joris momenti quælibet & arteria & vena, quia teres & lubrica, subduxerit se cuspidi ferreæ, atque illæsa manserit; perforatis autem tendinibus aut nervis, non fuit necessum, consequi mortem inde statim. Sed, ut dixi, redditum clavo pervium fuisse carpum Salvatori, non professus ego sum, aut opinatus; quicquid Rubenius tandem fecerit; quem nec mansisse irreprehensum, scimus. ita quippe ad me scribebat Joannes Bollandus, vir summus, Antverpiâ, VIII. Januarii CIↃ IↃC XLIII: *Memini, ante annos XXIV. acriter in Rubenium pictorem invectos in hac urbe concionatores nonnullos, quod Crucifixi illustri in loco ponendam imaginem pinxisset, clavis non medio manuum infixis, sed inter brachium & manum. videri enim ajebant id prophetico* [1] *illi adversari: Quæ sunt plagæ in medio manuum tuarum? quis enim manus brachiique juncturam medium manus dicet?* de quibus Zachariæ

[1] *Zach.* XIII. 6.

chariæ verbis nostri consulantur interpretes. Gratis fingi ais callum in manibus Christi, ducta à fabrili arte conjectura. at Christus an fabrilem artem non exercuit, cum Josepho, & ab ejusdem obitu? negent, qui voluerint; certiores nos de contrario sumus. &, volæ fabris nonne callosæ? quis inficiari ausit? gratisne igitur id fingimus in Jesu? Fuerit ipse formosissimus: an ideo curavit cuticulam, aut manibus callum non induxit labore plurimo, qui studiis tempus impendere necessum neutiquam habebat, & vero totus abominabatur otium, fortunatulis hujus mundi, humilitatem animi fastidientibus, amari solitum? Forma viros neglecta decet: nemo ita vir fuit, ut hic vir. Deseruitne ipsum crassities cutis, postquam in Jordane fuerat baptizatus? gratis id dixerit, qui dixerit. secus etiamnum, docent me oculi mei. novi fabrum ferrarium, qui ab annis xx. nec eam nec laboriosam aliam factitat

artem,

artem, & callosas interim retinet manus, (quanquam non ita sordidæ illæ ac duræ penitus nunc, ut olim.) ni vidissem, in Anticritico meo nil ejus legisses. Videlicet, quemadmodum sive dextra sive sinistra, quæ maxime laboribus occupatur, & robustior est semper cum suo brachio & nonnihil major, quia spiritibus ad vim istuc suam derivandam assuefactis; ita & confluunt spiritus, quasi lacessiti, ad muniendam volam & pedum, quibus ambulamus, & manuum, quibus prehensa gestamus trahimusve, aut vibramus pondera graviora: cujusmodi quid & contingit in genibus, in quæ multum procumbimus. ne dicam, calli fere eandem, quæ cicatricis est, indolem esse; ac si ad cicatrices pertineat. At, inquis, longo ante martyrio membra Christi distracta quasi erant & rupta, ac destituta spiritibus. passane & manuum interiora? ubinam hoc legitur? nusquam. & an non clamavit voce magna, quum

quum pependisset horis in cruce tribus? quomodo id potuisset, si, antequam suffigeretur, consumti fuissent spiritus? Judicio Salmasii tribuis plus quam tuo. bene. quid igitur ille? [1] *Hariolatio est*, inquit, *qua languisse tum Christum asserit, & viribus exhaustum fuisse.* Immo & rectà sic alloquitur te: *De nihilo subjicis, de Christo viribus plane exhausto aliam rationem esse & diversam.* Superfuerint verò nulli etiam spiritus Christo, in crucem jam agendo: an non corpus inde ut frigidius ita durius fuisset, quam ante? & quis unquam audivit, abscessu spirituum à corpore, non prius morbido, debilem fieri seu minus tenacem substantiam ullam nerveam, quamdiu non putrescit? cur animalium nervis cæsi tantopere tot Martyres, nisi quia flagella inde fiunt validissima? Vel Antonii Gallonii libellum inspice, si tibi desunt historiæ. Clavos per manus adigentium atrocitas fuerit summa: num ideo

1 *Pag.* 517. & 518.

ideo susque deque habuerunt lictores Romani illi, quacunque eas parte transfigerent? immo, quo, Judæis instigantibus, erant crudeliores, eò magis dederint operam, ut cruciarentur ipsæ diutius, pendente corpore; ac proin terebrarint metacarpum utrumque, quàm poterant unquam proxime carpum. Eratne metacarpus tunc scissilis tamen? Hoc dicere non sufficit, ac frustra sunt rationes, quascunque excogitaveris. ad oculorum sensum provocavimus. quibus fas est, Anatomicorum ritu tractare interfecti hominis cadaver, quidni experimentum hi aliquando capiant, saltem per lictores, permissu superiorum? non alio pacto convinces prudentum quemquam; edoctum præsertim ea, quæ in Anticritico nostro legere est. Interea sententiam audi, quam tuus contra te fert Salmasius pro Nihusio. [1] *Hæc*, inquit, *meditanti, & exaranti, commodùm facta est mentio ab amico responsi cujus-*

[1] *Pag.* 330.

cujusdam docti Medici ad propositam sibi quaestionem editi, an manus clavis transfixae pares ferendo forent corpori inde pendulo. Vult ille, neque suppedaneum, neque palum, stipiti crucis arrectario insertum, cruciariis fuisse necessarium ad eos in cruce sustinendos & quasi vectandos. multis id probare adgressus est, partim ratione, partim experientia, quantumvis mole grave & pondere corpus solis transfixis manibus in crucis patibulo pendens posse subsistere. de quo non dubitem, ita fuisse, quam diu corpus integrum maneret, aut si post aliquot dies de cruce detrahendum foret. ad aliquod enim tempus manus perforatas & adfixas clavis, ex nervosa, carnosa & ossea sua substantia satis validas & firmas videri concedo sustentando corpori pendulo, ne deorsum laberetur mole sua gravatum. Quid vis ampliùs, mi Bartholine? neque enim quæstio nostra hîc erat, nisi de Christo, qui paucis tantum horis pependit, usitata in Judæis ratione. Responsi istius autorem

rem nemo noverit meliùs quam ego. Non tam Dilherrum is petebat, quam per Dilherri latus Georgium Calixtum. & ergo Calixtum hîc unà damnat Salmasius, absolvitque Nihusium. quod ipsum, ne nescias, facere quoque visus Ioannes Jacobus Chiffletius, dum ad me scripsit Bruxellâ, ix. Februarii cIↄ Iↄc xliii: *Aberrat etiam toto cælo Dilherrus in crucifixione Domini.* Ne multa: si manus usque adeo forent fissiles, nemone à seculis xii Anatomicus aut chirurgus observasset, monuissetque pictores, statuarios, Ecclesiasticos ipsos, qui moderarentur usum imaginum in templis publicum? quis credat? Sicuti & fune, pectus lateraque cingente, & alligato suprà cruci, vel adstringente brachia, subveniri potuisset; quod etiam factum nonnunquam, adeoque in Apostolo Petro, notat Raynaudus, lib. de sancto Latrone cap. ii. num. ix.

IV. Claudium illum Salmasium, ad commentandum quoque de

Cru-

Cruce, sollicitatum abs te video & exsuscitatum. Rex hic est literatissimorum Leidæ hodie, ut quondam erat Josephus Scaliger; auditque merito vir illustris & magnus; quia cumulatus affatim à Numine donis ingenii præstantissimis, quanquam ipsius aliàs telis nondum animadverto concuti muros Ecclesiæ Catholicæ; quin miror, quod credat, extitisse Joannam Papissam, fabulam id esse professo Davide Blondello: utinam saltem cum hoc suo & consecraneo & amico transigat. Verùm hæc alio pertinent. Asseverat, in cruce Christi fuisse sedile: rejicit sententiam de pegmate suppedaneo, tanquam falsam. Quid vetat explicare & sensa mentis hic meæ, sine pugna aut contentione? Non indigne id accipiet, scio, Salmasii nobilis animus. Dum volvere crucis negotium cœpit; malet, credo, volvi hoc ab aliis etiam ac revolvi. Nec eruditis insero me tamen; discipulus eorum infimus; nisi quod me nolim *occupet extremum scabies.*

bies. Quicquid ſit, alloquor ego te, Bartholine, quemadmodum cœpi, virum literas elegantes doctum & humanum, oratione ingenua & amica: neque enim è Lapitharum nos genere.

V. Quid dicit Salmaſius? Aures arrigimus. [1] *Lignum*, inquit, *erat ex medio ſtipite crucis extans, quem ſedilis exceſſum vocat Tertullianus. Juſtinus eo*, ἐποχεῖσθαι *cruciarios dicit. Irenæus, in eo requieſcere*, ἀναπαύεσθαι. *Innocentius truncum vocat, ut Juſtinus* κέρας, *lignum nempe extans è medio ſtipite crucis. Quatuor lignis compoſitam fuiſſe Chriſti crucem ait, ex ſtipite erecto, ligno tranſverſo, & trunco ſuppoſito, ac titulo ſuperpoſito. Per truncum ſuppoſitum intelligit Innocentius palum illum è medio crucis arrectariæ eminentem, qui natibus cruciarii ſupponebatur, ut in eo quaſi ſederet. Acutam crucem appellavit Mæcenas apud Senecam, quia ea parte, qua premebatur natibus reſidentis cruciarii, acuta inſtar aciei cultri fiebat, ut ſic cruciaretur & malam ſeſſio-*

[1] *Pag.* 440.

quanam sodes in re detrectas adhibere fidem imagini Romanæ? negasne, esse & repertam in cryptis & antiquam? at quæ ratio negandi? negasne, Christi carpum clavis fuisse perfossum, ut ibi expressum conspicitur, nega, quantum lubuerit; nihil id mihi obest; ut qui & ipse proclamo, rem esse illam incertissimam; ac proinde solum ideo mentionem istius imaginis hîc injeci, ut indicarem, videri & fabricatoribus ejusdem vetustis manus non creditas fuisse sustinendæ corporis moli pares, nisi clavi transierint carpum: nil, inquam, aliud (quantum hanc quidem attinet quæstionem,) volui. Quanquam nec evincis, repugnare id historiæ Euangelicæ. quidni enim trajecto carpo, manus transfixa recte nuncupetur, quum carpus extrema sit pars manûs, quippe cum ea mobilis, & sic magis ad ipsam pertinens, quam ad lacertum? Sit ibi quoque arteriarum & venarum tendinumque concursus ille; at ma-

joris

joris momenti quælibet & arteria & vena, quia teres & lubrica, ſubduxerit ſe cuſpidi ferreæ, atque illæſa manſerit; perforatis autem tendinibus aut nervis, non fuit neceſſum, conſequi mortem inde ſtatim. Sed, ut dixi, reddítum clavo pervium fuiſſe carpum Salvatori, non profatus ego ſum, aut opinatus; quicquid Rubenius tandem fecerit; quem nec manſiſſe irreprehenſum, ſcimus. ita quippe ad me ſcribebat Joannes Bollandus, vir ſummus, Antverpiâ, VIII. Januarii CIↃ IↃC XLIII: *Memini, ante annos* XXIV. *acriter in Rubenium pictorem invectos in hac urbe concionatores nonnullos, quod Crucifixi illuſtri in loco ponendam imaginem pinxiſſet, clavis non medio manuum infixis, ſed inter brachium & manum. videri enim ajebant id prophetico* [1] *illi adverſari: Quæ ſunt plagæ in medio manuum tuarum? quis enim manus brachiique juncturam medium manus dicet?* de quibus Zachariæ

[1] *Zach.* XIII. 6.

chariæ verbis nostri consulantùr interpretes. Gratis fingi ais callum in manibus Christi, ducta à fabrili arte conjectura. at Christus an fabrilem artem non exercuit, cum Josepho, & ab ejusdem obitu? negent, qui voluerint; certiores nos de contrario sumus. &, volæ fabris nonne callosæ? quis inficiari ausit? gratisne igitur id fingimus in Jesu? Fuerit ipse formosissimus: an ideo curavit cuticulam, aut manibus callum non induxit labore plurimo, qui studiis tempus impendere necessum neutiquam habebat, & vero totus abominabatur otium, fortunatulis hujus mundi, humilitatem animi fastidientibus, amari solitum? Forma viros neglecta decet: nemo ita vir fuit, ut hic vir. Deseruitne ipsum crassities cutis, postquam in Jordane fuerat baptizatus? gratis id dixerit, qui dixerit. secus etiamnum, docent me oculi mei. novi fabrum ferrarium, qui ab annis xx. nec eam nec laboriosam aliam factitat

artem, & callosas interim retinet manus, (quanquam non ita sordidæ illæ ac duræ penitus nunc, ut olim.) ni vidissem, in Anticritico meo nil ejus legisses. Videlicet, quemadmodum sive dextra sive sinistra, quæ maxime laboribus occupatur, & robustior est semper cum suo brachio & nonnihil major, quia spiritibus ad vim istuc suam derivandam assuefactis; ita & confluunt spiritus, quasi lacessiti, ad muniendam volam & pedum, quibus ambulamus, & manuum, quibus prehensa gestamus trahimusve, aut vibramus pondera graviora: cujusmodi quid & contingit in genibus, in quæ multum procumbimus. ne dicam, calli fere eandem, quæ cicatricis est, indolem esse; ac si ad cicatrices pertineat. At, inquis, longo ante martyrio membra Christi distracta quasi erant & rupta, ac destituta spiritibus. passane & manuum interiora? ubinam hoc legitur? nusquam. & an non clamavit voce magna, quum

quum pependisset horis in cruce tribus? quomodo id potuisset, si, antequam suffigeretur, consumti fuissent spiritus? Judicio Salmasii tribuis plus quam tuo. bene. quid igitur ille? [1] *Hariolatio est*, inquit, *quæ languisse tum Christum asserit, & viribus exhaustum fuisse*. Immo & rectà sic alloquitur te: *De nihilo subjicis, de Christo viribus plane exhausto aliam rationem esse & diversam.* Superfuerint verò nulli etiam spiritus Christo, in crucem jam agendo: an non corpus inde ut frigidius ita durius fuisset, quam ante? & quis unquam audivit, abscessu spirituum à corpore, non prius morbido, debilem fieri seu minus tenacem substantiam ullam nerveam, quamdiu non putrescit? cur animalium nervis cæsi tantopere tot Martyres, nisi quia flagella inde fiunt validissima? Vel Antonii Gallonii libellum inspice, si tibi desunt historiæ. Clavos per manus adigentium atrocitas fuerit summa: num ideo

1 *Pag. 517. & 518.*

ideo susque deque habuerunt lictores Romani illi, quacunque eas parte transfigerent? immo, quo, Judæis instigantibus, erant crudeliores, eò magis dederint operam, ut cruciarentur ipsæ diutius, pendente corpore; ac proin terebrarint metacarpum utrumque, quàm poterant unquam proxime carpum. Eratne metacarpus tunc scissilis tamen? Hoc dicere non sufficit, ac frustra sunt rationes, quascunque excogitaveris. ad oculorum sensum provocavimus. quibus fas est, Anatomicorum ritu tractare interfecti hominis cadaver, quidni experimentum hi aliquando capiant, saltem per lictores, permissu superiorum? non alio pacto convinces prudentum quemquam; edoctum præsertim ea, quæ in Anticritico nostro legere est. Interea sententiam audi, quam tuus contra te fert Salmasius pro Nihusio. [1] *Hac*, inquit, *meditanti, & exaranti, commodùm facta est mentio ab amico responsi cujus-*

[1] *Pag.* 330.

cujusdam docti Medici ad propositam sibi quaestionem editi, an manus clavis transfixa pares ferendo forent corpori inde pendulo. Vult ille, neque suppedaneum, neque palum, stipiti crucis arrectario insertum, cruciariis fuisse necessarium ad eos in cruce sustinendos & quasi vectandos. multis id probare adgressus est, partim ratione, partim experientia, quantumvis mole grave & pondere corpus solis transfixis manibus in crucis patibulo pendens posse subsistere. de quo non dubitem, ita fuisse, quam diu corpus integrum maneret, aut si post aliquot dies de cruce detrahendum foret. ad aliquod enim tempus manus perforatas & adfixas clavis, ex nervosa, carnosa & ossea sua substantia satis validas & firmas videri concedo sustentando corpori pendulo, ne deorsum laberetur mole sua gravatum. Quid vis ampliùs, mi Bartholine? neque enim quæstio nostra hîc erat, nisi de Christo, qui paucis tantum horis pependit, usitata in Judæis ratione. Responsi istius auto-

rem

rem nemo noverit meliùs quam ego. Non tam Dilherrum is petebat, quam per Dilherri latus Georgium Calixtum. & ergo Calixtum hîc unà damnat Salmasius, absolvitque Nihusium. quod ipsum, ne nescias, facere quoque visus Ioannes Jacobus Chiffletius, dum ad me scripsit Bruxellâ, ix. Februarii CIↃ IↃC xliii: *Aberrat etiam toto cælo Dilherrus in crucifixione Domini.* Ne multa: si manus usque adeo forent fissiles, nemone à seculis xii Anatomicus aut chirurgus observasset, monuissetque pictores, statuarios, Ecclesiasticos ipsos, qui moderarentur usum imaginum in templis publicum? quis credat? Sicuti & fune, pectus lateraque cingente, & alligato suprà cruci, vel adstringente brachia, subveniri potuisset; quod etiam factum nonnunquam, adeoque in Apostolo Petro, notat Raynaudus, lib. de sancto Latrone cap. ii. num. ix.

IV. Claudium illum Salmasium, ad commentandum quoque de

Cru-

bies. Quicquid sit, alloquor ego te, Bartholine, quemadmodum cœpi, virum literas elegantes doctum & humanum, oratione ingenua & amica: neque enim è Lapitharum nos genere.

V. Quid dicit Salmasius? Aures arrigimus. [1] *Lignum, inquit, erat ex medio stipite crucis extans, quem sedilis excessum vocat Tertullianus. Justinus eo, ἐποχεῖσθαι cruciarios dicit. Irenaus, in eo requiescere, ἀναπαύεσθαι. Innocentius truncum vocat, ut Justinus κέρας, lignum nempe extans è medio stipite crucis. Quatuor lignis compositam fuisse Christi crucem ait, ex stipite erecto, ligno transverso, & trunco supposito, ac titulo superposito. Per truncum suppositum intelligit Innocentius palum illum è medio crucis arrectaria eminentem, qui natibus cruciarii supponebatur, ut in eo quasi sederet. Acutam crucem appellavit Mæcenas apud Senecam, quia ea parte, qua premebatur natibus residentis cruciarii, acuta instar aciei cultri fiebat, ut sic cruciaretur & malam sessio-*

[1] Pag. 440.

sessionem haberet crucifixus. Hanc mihi vel acuta subsidem cruce sustine. Omne autem lignum, quo mors per cruciatum aliquem dabatur, crux dicebatur. Male autem acutam illam crucem Mæcenatis vir doctus de illa intelligit quæ Turcis usitata est; impalatione *vulgo dicta, qua homo ab imo ad summum per medium transfigitur. Acutam illam crucem in qua subsidem sibi vitam relinqui præoptat quam mori, de illo sedilis excessu, cui in cruce insidebat vel inequitabat crucifixus, intelligendam esse, ostendit ipse Seneca his verbis, quibus Mæcenatis illos versiculos explicat: Suffigas licet, & acutam sessuro crucem subdas; est tanti, vulnus suum premere, & patibulo pendere districtum. Suffixa in medio stipite crucis quasi altera crux; palus ille acutus, & sessuro in eo cruciario suppositus & subditus. Hinc & suppositum truncum appellavit Innocentius.* Ita ille; qui & de verbis Justini Martyris, Irenæi, ac Tertulliani, fusius egerat suprà, addens de Mæcenatis illo:
Subsi-

Subsidem[1] *dixit propter illud medium lignum in quo quasi equitantes subsidebant.* Cæterum, idem Salmasius alibi[2] ad Bartholinum: *Scio, te non ignorare, in his rebus, quæ in utramque partem sola nituntur conjectura, debere videri veriora quæ veris sunt similiora. soleo quoque semper iis conjecturis palmam dare, quibus nihil opponi potest, quod* ἀποδεικτικώτερον *videatur.* Numquid igitur & conjecturæ tantum sunt, quæ, de *sedili* in Christi cruce, disputavit? Si ita est, assentior: qui nec aliud egi in Anticritico, quam ut, rem esse incertam, ostenderem contra Calixti effatum: *Res certa est, & testibus omni exceptione majoribus abunde confirmata.* Esse autem nil nisi conjecturas, patefecero, si monstravero, sciri liquido non posse; num à Justino, Irenæo, ac Tertulliano, *sedile* illud Christi afferatur; vel quoque ab Innocentio Papa; num item, si afferatur, ipsorum testimonia sufficiant.

K VI. Scru-

1 *Pag.* 229. 2 *Pag.* 359.

VI. Scrutemur cujuſque verba ſeorſim. Juſtinus ait: τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. Salmaſius reddit[1]: *Quod in medio impactum eſt, instar cornu & ipſum eminet, cui inequitant & quo vectantur qui cruci affiguntur.* Juſtini primum eſt verbum, *in medio* fuiſſe lignum. potuit igitur eſſe hypopodion; utpote cui non ſuppetit locus niſi inter extremitates arrectarii ſtipitis quomodocunque medius. Secundum eſt, πηγνύμενον, *impactum.* fuerit & hypopodion impactum aut clavis ferreis ligneiſve affixum, & nequaquam ſolummodo adplicitum. πῆγμα Salmaſio[2] duobus conſtat lignis. eſto fuerit igitur hypopodio pes, infixus & ſubtus extremitati ejus, & altera ſui parte ſtipiti: ut expreſſit optime per chalcographum Sereniſſimus Brunsvicenſium Dux Auguſtus, anno CIↃ IↃC xl. Tertium, ὡς κέρας, *inſtar cornu*, ſeu, ut cornu: (alias legit Salmaſius[3], εἰς κέρας, *in figuram cornu.*) etiam

1 *Pag.* 229. 2 *Pag.* 232. 3 *Pag.* 243.

etiam extremitas utraque tam ſtipitis, quàm antemnæ, dicitur *cornu*, quod exſtet longius, licet ſine acuta cuſpide. hypopodion igitur *cornu* tale quoque fuerit, adeoque in cuſpidem quaſi quandam deſierit inſuper, ut junctorum reſponderet pollicibus pedum: neque enim flagitabat res figuram quadratam: ac vidimus inſculptam æri, cuſpidati ſpecie. Quartum eſt, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐϛὶν, *& ipſum eminet*. etiam hypopodium non potuit non eminere. Quintum, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ ϛαυρούμενοι, *in quo vehuntur, qui cruci affiguntur*; ſic ego transfero, Salmaſianum iſtuc omittens, *inequitant*. numquid enim ἐποχεῖσθαι neceſſariò ſemper eſt, vehi equo, vel, ſicut equitem, pede utrimque pendulo? negant omnes lexicographi. mitto metaphoram in illo apud Euripidem, ἔποχος μανίας λόγος, *ſermo qui velut inſaniæ invehitur*; inque iſto Philonis, οὐκ ἐποχηθήσηται ποτε ἔτι ὕδατι ἡ γῆ, *non amplius invehetur ſeu innitetur aquis*

terra: quomodo & *facundus comes in via pro vehiculo est.* numquid non vehebantur *stantes in curribus Æmiliani?* porro ἐποχεῖσθαι aliàs & Salmasio est, *sustentari* & *portari.* numquid autem non ab hypopodio sustentatur & portatur cruciarius, ὁ σταυρούμενος, ut minimum dum incipit stans affigi manibus trabi transversæ, vel item postea, quam diu pedibus potest insistere, sicuti aliquandiu potest, ut minuat & pedum & manuum dolores? nolo adjicere, si necessum sit pedes utrimque pendere ei qui equitet, non equitare tunc fœminas, quæ junctis ab altero equi aut muli latere cruribus vectantur: quemadmodum & in Germania facere vidi sæpius agricolas, atque aurigas, vectores mercium. immo, numquid non & equitabat, qui tantus erat artifex, ut, colossi instar insistens erectus equis una duobus in hippodromo, victor existeret in certamine? Nihil igitur certi elicitur è sermone Justini, de sedili isto. Quid jam

jam dicit Irenæus? *Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque; duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit qui clavis affigitur.* Subdit Salmasius[1]: *Unus ille in medio stipitis crucis finis, sive extremitas, τὸ ἄκρον in Græco fuit.* sicuti & *requiescere* est ipsi ἀναπαύσασθαι, ut audivimus. at nec hypopodion caruerit extremitate, de voce autem *requiescit*, memineris, quid initio dixerimus; & quiesces animo, ni fallor; præsertim si junxeris, quæ jam jam attuli de Justini ἐποχεῖσθαι, *vehi.* Quare & Irenæus nos dimittit rei incertos. Tertullianus vocat *sedilis excessum*, quod Justinus τὸ ἐξέχον ἐν μέσῳ πῆγμα: vocat item *unicornem in medio stipite palum*, (ut legendum esse[2] Salmasius vult,) non bicornem, ut est antemna. vocet: at cum Josepho Scaligero Salmasius ait, videri accepisse Tertullianum istud è Justino; non autem Justinus evidenter exprimit sedile & negat hypopo-

 dion;

1 Pag. 231. 2 Pag. 234. & 241.

dion; quid si ergo Tertullianus mentem ejus non recte perceperit, ambiguitate seductus? vel, quid si perceperit, & *sedile* intellexerit non nisi pedum, quia putaverit habere id quandam quasi sedilis formam? numquid non peregrinis crebro vocibus utitur, vel usitatarum quoque vocum translationibus peregrinis? nonne apertum id vel in verbo *excessus*, quod ipsi est extans seu prominens extremitas? quis denique determinare queat, hypopodion haud fuisse palum unicornem, seu unica solum extremitate præditum? Tantundem itaque extundimus è Tertulliano, quantum ex Justino & Irenæo. Innocentius autem an pro sedili sententiam promulgavit, appellans id *suppositum truncum?* Affirmat Salmasius [1], qui tamen alibi: *Notandum est, solos auctores, qui ante Constantinum fuere, & ante crucem è suppliciorum generibus sublatam scripsere, meminisse illius pali medii cui insidebant in cruce cruciarii, apud eos, qui post Con-*

1 Pag. 255.

Conſtantinum vixere, altum de eo ſilentium. notavimus. at Conſtantinus Magnus obiit anno cccxxxvii, apud Baronium; & Innocentius tertius, de quo agitur, Pontificatum iniit cIↄ cxcviii, apud Baronii continuatorem inſignem, Odoricum Raynaldum. ergo in ſcriptis Pontificis hujus altum de ſedili eo ſilentium. nonne ſyllogiſmus hic eſt primæ apud Ariſtotelem figuræ, & ſic in forma bonus? immo, nec Innocentius I. quidem factus Papa, niſi anno demum cccc11, hoc eſt, poſt Conſtantini mortem ſexageſimo quinto. Sed neque de *ſuppoſito trunco* definivit Innocentius III quidquam, dum eſſet Pontifex: atque intellexerit hypopodion. Plus ultrà. Salmaſius[1]: *Innocentius*, inquit, *truncum vocat, ut Juſtinus κέρας, lignum extans è medio ſtipite crucis. Quatuor lignis compoſitam fuiſſe Chriſti crucem ait, ex ſtipite erecto, ligno tranſverſo, & trunco ſuppoſito, ac titulo ſuperpoſito. Hac ejus verba*

K 4 ſunt,

1 *Pag.* 441.

runt, Lipsio citata: Fuerunt in cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus, lignum transversum, truncus suppositus, & titulus superpositus. Hinc etiam suspicor accepisse Bedam, quod in Collectaneis habet, ex quatuor diversis lignis crucem fuisse compactam. Beda seculo Christianorum octavo devixit; Innocentius natus duodecimo: & *suspicamur*, Bedam, quæ scripsit, accepisse ex Innocentio? Quid si *suspicio* hæc videatur mirifica Petavio quoque & Heinsio? digna est equidem eo, qui primatum Papæ profligatum it, seu potius difflat nobis halitu. Nemo, inquam, Pontificum Romanorum, Innocentius dictus, vixit ante Bedam; nisi primus. verba autem, à Lipsio citata, sunt Innocentii tertii, sermone quodam de uno Martyre. res toti mundo manifestissima est. Quicunque palam fecerit, ita male subduxisse me calculos; huic, tanquam euergetæ peculiari, publice solemniterque gratias agam: en dextra, fidesque, & quidem Germanica. quapropter, ut

ut pariter gratias mihi Salmasius habeat, æquum, ni fallor, erit. Et sic in universum hactenus nullum audivimus testem, qui clare dicat, in Christi cruce fuisse sedile: sed mera est conjectura, dici id à Justino, Irenæo, Tertulliano, & Innocentio III. Mæcenas verò, & interpres ejus Seneca, num de cruce Christi, Hierosolymis passi, loquuntur? Nihil minùs. Erant Romæ: supplicii meminerint, quod viderant ibi.

VII. Intellexerint autem Justinus, Irenæus, ac Tertullianus, non hypopodion, sed sedile; quod verum esse posse dixi, ac, ne nescias, observatum constat à nostris ante Jos. Scaligerum, ut ex Jac. Bosio & Motivis Richardi Bristoi satis perspicere est: sufficerene ideo veterum eorum testimonia debent? Necdum id profectò est evidens. quamobrem? quia nemo ipsorum viderat Christi crucem: nec sciri potest, num alios, eosque fide dignos, qui viderant, audierint, ac non potius, quòd

obſervaſſent in cruce Romana ſedile, inde hariolati fuerint ſolummodo, ſedile Chriſto quoque ſubditum juſſu Pontii Pilati. immo, ſi ita eſt ut Scaliger & Salmaſius dixere, Tertullianus ne ratiocinatus ita quidem fuerit; nempe quia, quod hic ſcripſit, ex Juſtini ſcriptis hauſerit. Atqui crux fuit Chriſti Romana; ergo non ſine iſto ſedili. Ita Salmaſius [1]. *Sine quo* (palo,) inquit, *certum eſt neminem olim in crucem fuiſſe ſublatum*. Num itaque ſemper in omni Romana cruce ſedile iſtuc erat, nec dabantur crucifigendi genera alia, adeoque ſtultus plane fuit Lipſius, à Calixto quoque iterum editus, & ſic probatus, qui cum Gallonio, Gretſero, Boſio, multiſque præterea, contra docet? Adfert Salmaſius [2] Mæcenatis verbula & Senecæ. Quorum ille *acuta ſubſidem cruce* depingat in mente: an non acutâ ſubſidet ſeu ſubſidit cruce *impalatus*? nulla igitur neceſſi-

1 *Pag.* 282. 2 *Pag.* 230. & 441.

necessitas intelligendi sedile ibi acutum, quale præberi solebat militi petulanti paucis ab hinc annis apud Germanos in asini lignei dorso ad horas aliquot. Hic dicat, *suffigas*: quidnam est, quod suffigi vult? ¹ *Suffixa in medio stipite crucis quasi altera crux, palus ille acutus, & sessuro in eo cruciario suppositus & subditus*; juxta Salmasium. at quid si sensus potius fuerit, *Suffigas licet*, nempe me, &, id est, sive, *acutam sessuro crucem subdas*, ut fit in *impalatione*;) *est tanti, vulnus suum premere, & patibulo pendere* (ut subsides pendent *impalati*) *districtum*, hoc est, sive adstrictum valde, sive anxietate plenum; nam hæc, immo & plura, significat ea vox; ut me lexica quidem docent & Grammatici. ita premebat vulnus *impalatus* à Muhametanis ille, qui vociferabatur, si vellent è patibulo hoc sese eximere, magnum ac memorabile detectum à se iri

¹ Pag. 442.

iri arcanum, cæteroquin æterno ſepeliendum ſilentio; exemptus autem, nil niſi ſitim ſuam intolerandam explicans, dari petebat quod biberet; eoque impetrato, quum nullius arcani conſcius eſſet, ſuffigebatur atrociùs: quod retulit nobis, qui ſpectator fuit. Cæterum, *acuta ſubſidem cruce* eſſe, Mæcenati fuerit, inequitare ſedili acuto, quod infixum ſtipiti atrectario: an inde cónſequens eſt, nullum Romanis uſitatum fuiſſe crucis genus aliud? negamus. Locis Germaniæ quibuſdam ſuſpendebantur quondam fures, trochleæ fune rapti è terra, ut apud Anglos è curru, in patibuli trabem tranſverſam: aſcendere poſtmodum juſſi, pendebant, ut caput multo eſſet ea trabe inferius, & impulſu ventorum agitabile cum corpore; ac tandem, ut, adſtrictum illic arctiſſime clavo, ſurſum exſtanti, emineret ferme ſupra. ſedile ſubditum vidi adulteratori nummorum, uſtulato & liquefactâ perfuſo pice deſuper, manibus poſt ſtipi-

ſtipitem, quem tergo premebat, revinctis. vidi ſic & Halberſtadii, ex iis quos ruſticos cognominabant *Hercynianos*, latronem, eodem ritu hærentem, niſi quod poplite utroque flexo tenerentur cathenis crura. aliàs autem ſecus fit. adeoque ſupplicia variant paſſim. ſic ergo & apud Romanos uſu veniebat, quum eſſent rerum domini. fuerit ſedile ipſis nonnunquam acutum, fuerit aliàs obtuſum; pro facinorum, quæ caſtigabantur, diverſitate: abfuerit ſubinde à ſtipite penitus, atque adhibendum viſum ſit, quum vellent, cruciarios ad dies aliquot ſupervivere pendulos; quid hoc ad gentem Judæorum Hieroſolymis, qui, licet ſub Romanorum redacti jugum, legis tamen memores, Deuteron. XXI, 22, *Quando, adjudicatus morti, ſuſpenſus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur*, (quæ verba pulcre illuſtrat alicubi Philo,) ſuos, cumprimis ab ſeſe accuſatos & condemnatos, quum ſic plexi vivere deſierant, humabant

ante occubitum solis, adeoque mortem ea propter ipsis faciebant accelerari crurifragio, vel etiam axillifragio: quam rem, quod Christum & cum eo suffixos attinet, post alios Theophilus Raynaudus tractat, libri de sancto Latrone cap. XII. Ethnici, inquam, suos cruciarios, donec à feris devorarentur aut putrescerent, pendere sinebant; Judæi non item: quod & Gallonius monet, libelli de cruciatibus Martyrum cap. I. & IX; sicuti & Jac. Bosius lib. I. de Cruce triumphante, cap. VIII. & Gretserus lib. I. de Cruce, c. XXIII; ut nil dicam de Joanne Lorino in Psalmum XXI, 18, & similibus. In sedili satis hæsimus.

VIII. Jam & inficiatur Salmasius, fuisse Christo in cruce subjectum hypopodion. Merisne itidem ductus conjecturis? Ita plane arbitror. Animum advertamus. *Si constat*, inquit [1], *ut certe constare debet, ex iis quæ diximus, palum è medio stipite crucis extantem sustinuisse corpus*

[1] Pag. 265.

corpus crucifixi, suppedaneum ad pedes ejus sustinendos supervacuum fuerit & inutile. & infra[1]: *Si iste locum habuit, quis locus suppedaneo fuerit non video.* quare? quia[2] post cruciarii mortem id res ipsa testatura fuisset[2]. ita ne? atqui & pali & hypopodii scit esse certum usum in cruce Japonica, ubi reos denique mori necessum itidem est. antequam, inquies, hi moriantur, hypopodion requiritur. bene. de cruce igitur Christi tu sic judica quoque. Romani voluerint, & esse ibi palum & hypopodion; adeoque hoc posterius, ut vel minus cruciarentur corporis pondere manus pedesque ad tempus (licet Judæi id nollent, qui crucem non confecerint,) vel certe quia sic visum lictoribus militibusve, consuetudinem aliquam sequutis, opportunam curandæ suffixioni pedum, sive stantis, sive supini; nam & hic situs ejus ibi interdum observatus, (quicquid Salmasius tergiversetur;) consule, si volueris, Martyrolo-

1 *Pag.* 365. 2 *Pag.* 258. & 259.

rologium Romanum [1] de Pionio, Smyrnæ passo sub Decio, & historiam ejus, à Baronio citatam ac Gallonio, & in Raynaudi libro de sancto Latrone, cap. 11, num. x; apud Lorinum item in Psalm. xxi, 17, vel ipsum potius Gretserum, lib. I. de Cruce, cap. xxi. Salmasius [2]: *Cum*, ait, *veteres constanter palum illum medium stipitis agnoscant, de isto scabello nihil omnino dicant; an aliquis dubitet, suppedaneum, quod nullum fuit, explodere, & retinere palum è medio stipite prominentem, quod idonei & vetustissimi Ecclesiæ Patres asserunt?* mera, inquam ego, conjectura est, Patres illos id adseruisse de Christi cruce, aut quoque sufficienter hîc idoneos testes esse ad faciendam nobis fidem certam. absit igitur, ut explodam temere inde suppedaneum istud scabellum. At, inquit [3], *nec ullus anteriorum aut posteriorum Constantino Patrum suppedanei illius in cruce meminit, uno excepto Gregorio Turonensi.* Demonstretur hoc nobis, & credemus; non

1 *Pag.* 333. 2 *Pag.* 365. 3 *Pag* 255. & 362.

non ante. Sed hariolari, quam demonſtrare, facilius forſan erit Salmaſio. quid? num ipſe, non plures tribus illis Patribus (demus, Tertullianum quoque iis accenſendum eſſe, qui denique à vera fide diſceſſit,) ſcripſiſſe, quæ perierint, compertiſſimum habet, aut neque aliàs, poſt inventam ab Helena ſanctam Crucem, alios exſtitiſſe Patres, qui viva voce teſtimonium de hypopodio Chriſti tranſmiſerint per ſucceſſores ad Gregorium Turonenſem? vel, an principium primum eſt Salmaſio, ut in vulgo non paucis; Quicquid è ſcriptis veterum de rebus olim geſtis non innoteſcit nobis, puram id putamque eſſe fabulam? profectò pura puta fabula tunc erit, annulum ſanctæ Eliſabethæ, Landgraviæ Thuringiæ, de quo nos in Hypodigmate, poſſideri à Sereniſſimo Saxoniæ Duce Erneſto, Joannis filio; qui contrarium tamen adſeverare mihi ſolitus, quum in aula Vinarienſi daret conſpiciendum: fabula item erit, Romam eo anno, qui aſſignatur, fuiſſe conditam;
quod

quod rectissime respondet etiam Gretserus, libro de festis, ubi de inventione Crucis Dominicæ disputat adversus Hospinianum: immo, puræ putæ fabulæ fuerunt omnia, quæ loquuti sunt seculis anteactis nostri majores quidem, sed literis mandari non curaverunt: quod ipsum ego putem esse in Sanctos novi ac veteris Testamenti multos, nec non patriarchas utroque illo priores; injuriam longe gravissimam. pura insuper putaque fabula erit omnis historia scripta. qui sic? nam fabula erat ante, quam scriberetur. vel, an scriptoris calamus è fabula fecit historiam? Cur non suspendimus potius de incognitis judicium? an, incircumspectum non esse, nefas nunc est? Sed compesco me, dum, conjecturis agere se, Salmasius agnoscit ipsemet. nisi si deinceps attulerit fortiora. *Gregorius* (Turonensis) inquit [1], *ex cerebro suo illud* (hypopodion) *finxit; nisi malumus dicere, Justinum, Irenaeum, Tertullia-*

[1] *Pag. 526.*

tullianum, Innocentium, commentos fuisse illud πῆγμα in crucis stipite medio fixum, quo vectabatur crucifixus; & de suppedaneo tacuisse per errorem & ignorantiam, quod nequaquam Salmasius mavult. Respondeo. si conjectura hæc non est sed syllogismus, redigatur in formam. fiat id, rogo; quia, fieri non posse, scio. subtiliter Zabarella distingui à se Logicen putat in naturalem & artificiosam. num sufficere nobis debet naturalis? ergo, sufficiat pariter quoque truncus, inutile lignum, ubi statuarius jussus erat effectum dare ut prodiret Mercurius. fugit lucem, qui fugit artificiosam dialecticen; tenebras amat, qui solam naturalem. conjectura nox densissima est. Salmasius: [1] *Suppedaneum in cruce Christi adhuc adstruis, quia Gregorius Turonensis agnoscit. ego contra destruo, quia nullus veterum præter hunc solum meminit, & hic quidem ita etiam ejus mentionem facit, ut ex solo foramine quod erat in stipite crucis*

[1] Pag. 362.

crucis, videatur colligere, insertum in illud foramen fuisse pedem tabulæ, in qua requiescebant pedes pendentis cruciarii. Videlicet, non suppetit mihi de suppedaneo scriptor, ætate superans Gregorium; ergo merus hac parte fabulator Gregorius. Ingenue confiteor, ita me esse hebetem, ut non magis capiam id concludendi genus, quàm si dicas; bis duo esse quatuor, ergo fabulari Nihusium, quando scribat, neque Salmasium degere nunc in Hollandia, neque Bartholinum in Dania. Pergat Salmasius de Gregorio. *Sed*, ait [1], *quomodo ille credidit suppedaneum habuisse crucem Dominicam? aut unde hanc traditionem suscepit, vel conjecturam accepit? ex foramine, quod in stipite erecto factum est, videtur id collegisse. In stipite erecto, inquit, foramen factum manifestum est. quomodo manifestum? an ex auditu id accepit, in veræ nempe crucis ligno, quod ab Helena inventum dicitur, fuisse foramen factum? Si ita est, foramen illud non infigendæ*

[1] *Pag.* 264.

genda tabella suppedanea factum fuit, sed inserendo palo, qui pro sedili esset & sustentaculo vel equuleo crucifigendi. Hæc quum legenda dedissem amico: Vereor, vereor, ajebat, ne, si non melius evicerit Samasius fuisse Romæ Papissam, triumphet Blondellus, corruatque sic, per Hugenotam arietata, Salmasiani pars operis de primatu Papæ. Viderit amicus iste: nisi si Papissa ea Papatum gesserit Babylone, ut vere Babylonia dici posset meritrix; postquam nempe Salmasius demonstrationibus plusquamEuclidæis confirmatum nobis dedit, Petrum illic & fuisse & martyrio vitam finiisse, (cur non & authorem extitisse condendæ turris, Genes. cap. XI?) & nequaquam Romæ, (utut forsan & Blondellus contradicat.) Perplacet. in eo solum dissentimus, quod Babylonem Chaldææ Salmasius intelligit, nos Babylonem Ægypti. quid nos movet? quia Ægyptus est pars Africæ, fœcundæ monstrorum admirabilium. Quid verba fundimus? Potuitne Gregorius videre suis oculis cru-

crucem ipsam, vel niti oculatis testibus fide dignis? nonne scribit ipse, monstratam eam tunc sæpius & conspectam? Deceptus fuerit, inquies. quidni itaque decepti quoque Justinus, Irenæus, Tertullianus, auditione de sedili? Numquid verò è foramine Gregorius colligit scabellum, qui & foramen illud oculis usurpatum ait & scabelli pedem & scabellum ipsum? Salmasium tunc equidem imitaretur, colligentem: *Si foramen factum est, foramen illud non infigendæ tabellæ suppedaneæ factum fuit, sed inserendo palo, qui pro sedili esset.* excussi foros dialecticorum omnes; at nullius hunc syllogismum video esse modi aut figuræ. quanquam quid facio Momus ego? num syllogismum esse volo, quod conjectura est? alia mensura metimur pondus rei, aliâ longitudinem. & verò magis etiam à syllogismo conjectura distat. Atqui anilis fabula est Salmasio, ostensam fuisse Christi crucem, aut ab Helena repertam. Surdaster necdum sum: audio.

audio. Quare fabula eſt, & anilis quidem? Quia memoratam Euſebio non legimus. Fiat ſyllogiſmus ex illa conjectura, dicerem, ſi funem nectere liceret ex harena. [1] Quod non invenimus in Euſebio, invenimus in aliis, Cyrillo Hieroſolymitano, Ambroſio, & ſimilibus. & quid ſi perierint Euſebii ſcripta, ſeorſim recitantia id, de quo ſermo nobis eſt? Nempe ante Judam Apoſtolum legerit uſquam quidquam de Michaëlis Archangeli cùm Diabolo, ſuper Moyſis corpore, altercatione, (cui teſti adfuit mortalium nemo:) ergone anilis tunc fabula fuerit, nec facta eſſet hiſtoria, niſi in literas relata foret à Thaddæo? Nec legit Salmaſius in Judæorum voluminibus, ut video, quod legerunt noſtri, apud Gretſerum de Cruce, lib. I. c. XXXIV, & alios; quod legit Caſaubonus, Exercit. XVI, cap. XCIV. legeritque Conſtantinus Imperator Opvicius omnium maximè, quia rerum ejuſmodi longe callentiſſimus; inſtrumenta paſſionis,

1 *Pag.* 279, & 369.

ſionis, æque ac ipſos cruciarios, mox fuiſſe terræ mandata. etiamne hoc igitur anilis erit fabula Salmaſio? credo, fabulam ſic futuram quoque, quod Hieroſolymis cernit quivis, cum cernit & foramen in petra, ubi crux collocata ſtetit primitus, & proximum ibidem hiatum terræ profundiſſimum, teſtem etiamnum ejus, quod ait Matthæus, XXVII, 51: *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Cæterùm, de objectione, momentum aliquod ponente in Euſebii ſilentio, videat, cui lubuerit, Gretſerum, lib. 1. cap. lv. Infinitis miſcet ſe Salmaſius quæſtionibus; quod familiare deamantibus conjecturas. Et ego tamen millies plures excogitem facillime, adverſus hiſtoricos omnes ipſamque adeo Scripturam divinam, ſi velim atque honeſte queam. Cur, inquit[1], Chriſtiani neque aſſervarunt neque petierunt à Pilato crucem, ut colerent? Quia partim occupati erant in ſepeliendo Salvatore, partim aliàs impediebantur; & plerique reli-

[1] Pag. 274. & 387.

reliqui diffugerant metu Judæorum, quippe necdum repleti Spiritu sancto; ut plura prætercam. [1] Cur non computruit crux defossa trecentis annis? quæramus è fabris lignariis: illi dicent. sepultum aquis lignum indurescit potiùs. reperiunt integrum & illæsum Batavi, cum penetrant ad inferiora terræ, quam subruunt. inundatione ante aliquot secula stratas, ac terra multum coopertas, deprehendunt illic sylvas, inque iis arbores multo solidiores, quàm sunt, quæ frondentes cæduntur; non secus ferme ac si oleo essent imbutæ atque ebriæ, inde tigilla parantur sustinendis domuum tegminibus, quæ ruri sunt ex arundine. arceto aëra, seu vaporem cum tepore, & arcebis putredinem, cariem, tineam. loculi mortuorum consumuntur, quia pleni aëre. sed & frigus necessarium. si ligna sub terra putrescunt omnia, nugax omnis est fistucatio: quum videamus tamen in Batavis frequenter, educi arte mechanica è terræ visce-

1 Pag. 267.

visceribus palos longissimos, olim impactos, etiamnum integerrimos, recentibusque similes. montibus incumbit Jerosolyma, petrosis, aridis: ne pluvia quidem aqua percolata crucem attigerit; immo nec auræ aut vaporum quidquam. ac, licet cum Gretsero, lib. I, cap. VI, fatear, sciri non posse, ex quonam ligno crux Domini confecta fuerit, interim tamen fortassis fuit lignum, corruptioni non facile obnoxium [1]. Cur tres tantum repertæ cruces illic, ubi sepultæ fuerint multò plures, quod esset locus ei rei perpetuo destinatus? quia locus diffusior erat, & multarum capax fovearum. Responderem ad interrogata quoque Salmasiana cætera: sed quid opus est? Subjicit [2]: *Invicto etiam argumento falsitas hujus inventionis aliter potest ostendi.* Nimirum, quia præmiserat nullum argumentum invictum, sed conjecturarum solummodo struem. Quodnam vero invictum istuc argumentum? Quia narratur inventio solius tituli,

[1] *Pag.* 272. [2] *Pag.* 280.

tituli, ad Christi crucem pertinentis: *certum* autem *est, non sine titulo in crucem datos fuisse* (duos latrones.) *Caterum,* inquit, *illi tituli aque debuerunt inveniri, ut ipsa eorum cruces tum reperta sunt. Fabulam igitur* (anilem) *esse concludimus, quod auctores de ea crucis inventione scriptum reliquere.* Ecce, negotium denique prorsus confectum habemus: quantumvis incertissimum revera sit, num & latronum crucibus fuerint appositi tituli. ita enim sentio, cum Gretsero, lib. I. cap. XXVI, & Raynaudo, lib. de sancto Latrone, cap. II, num V. Sed suasmet Salmasius conjecturas invicta etiam argumenta interdum vocat, ut video. sit *invictum* idem quod *victum*: nil repugnabo.

IX. Tendunt hæc eò omnia, non ut certò credatur Gregorio Turonensi, sed ne certò quis asseveret, fabulari Gregorium. Non assevero ego. Et de sedili, & de hypopodio, ἐπέχω, dum prodierit vir excellens Jo. Jac. Chiffletius. Quanquam quid vetat, & à Salmasio cogitari

1 Pag. 281.

Catholici non sunt; quippe credere soliti absolute, sine omni formidine, tum, suas privatas imaginationes de sensu Scripturarum, fidei Catholicæ contrario, esse oraculorum cœlestium instar certissimas, tum, fabulari Ecclesiam etiam nostram ipsam de rebus priscis, quicquid ipsi non apud scriptores priscos legerunt: quorum neutrum tamen certò exploratum habere unquam possunt. Hoc nemo nostrum, cui sua mens constat, facit: sed innumera credit, fide, ut sic loquar, hypothetica; si videlicet constiterint sibi, qui (verbi gratia) genuina esse lipsana, confirmarunt nobis nostrisve majoribus. Quid hîc mali est? nihil: nisi quod, juxta Salmasii conjecturam, fides nostra semper categorica; secus quam res habet, sicuti & in universum varii sunt gradus fidei nostræ historicæ, pro varietate historicorum; utut contra judicent aliqui temere de nobis, non auditis funditus, judicandi potestate destituti. Donatus fuerit, sive per fraudem, sive per

errorem, amoris pignore minutulo, ſubditus aut amator, nomine regis amaſiive, ſed prorſus inſcii. peccetne, aut ſtulte agat, ſi, cogitans, Fides eſto penes pararium, oſtendat occaſione ſigni, coli ab ſeſe dignis modis regem aut amaſium, ac ſi illud ex ipſiusmet manu excepiſſet? numquid non tam gratum id regi amaſiove, rem tandem edocto, ſit, ac ſi præſcitum fuiſſet? Idem dicendum in ſuo genere, ubi animarum noſtrarum rex & amaſius, Chriſtus Jeſus. Philoſophemur de iſto pleniùs, non hîc, ſed alibi. non deſudamus in procudendo ſyntagmate controverſiarum vaſto; ſed ad Bartholinum deproperamus literulas.

X. Nec propter Salmaſium ſcribo, Bartholine doctiſſime, ſed propter Georgium Calixtum; qui tibi *Germanorum doctiſſimus*, (ut ſuo diſcipulo & collegæ, *vir maximus* atque *incomparabilis*.) cum hoc enim eſt mihi negotium, tum de rebus gravioribus, tum de fabrica

[1] *Pag.* 128.

brica Crucis Dominicæ. Dicam sincerè. Pluris facio Calvinianos, quam Lutheranos. Quàm bellè causam suorum egit Wittebergicus Hulsemannus Thorunii! Nonne rectiùs domi mansisset? Satisfieri voluit sibi à Carmelita Tereſiano. numquid non satisfecit ex asse vir ille solidissimus? O mores Lutheranos! de concionatoribus loquor doctoribusque aliis, Catholicos insectantibus. Cæterum, gens, quam dixi, altera Calvini & politior est, &, ut audio, gestiens colloqui cum Catholicis denuo, sollicitat Regem Poloniæ quia præclarissimam ejus jam experta humanitatem ac benignitatem, solis instar fulgentem. Fiat, inquam ego, qui consulo, ne disputent multa, sed multum. sufficiat unicum, ubi putaverint quàm citissime victoriam fore suam, mucrone verbi divini, si potuerint, saltem semel cor Ecclesiæ transverberent. vulnus Julium Cæsarem interemisset, sine vulneribus cæteris, uni mordicus inhæreſcant contra nostros textui. si victores hîc fuerint,

nequaquam opus erit pluribus. quod si nil potuerint efficere telo isto uno, tantundem efficient multis. nam, quod validissimum visum fuerit, oportet eligant, ac torqueant, seu potiùs, venabuli instar, figant, non cessantes intimis mergere visceribus, donec vitam abstulerint: quod nec facient, si cuspis fuerit, non ferrea, sed plumbea vel etiam stupea. prosilire modò huc modò illuc, tergiversari est. tergiversationum Thorunii satis fuit; satis item perorationum. de ipsorum eloquentia non dubitamus. eloquentissimus esto ibi, qui pauciloquentissimus, argumenti vibrator unici, suo judicio non operosi multum, sed facillimi compendiosissimique. verbis nemo sese exsolvet ære nostro. Lutheranis hoc non arridet. Hulsemanno illatenus non melior Calixtus. experti ab aliquot annis, loquimur. Estne hic homo *Germanorum doctissimus*, cujus doctrina fere tota consistit in calumniose traducendis (ut sæpe à me dictum) fidei nostræ Catholicæ & legibus & defensoribus

bus eorumve verbis; adeo ut, ubi folum comiter ipfe contra per jocum remittitur à noftratibus ad *Kaiſerſpergii Navem* (ftultorum puta, fi non & pœnitentiæ,) exclamet in Digreffione, *monitu amicorum, cavendum ſibi eſſe à Nihuſio; aliquid magni monſtri alente, ac, ſi de ſe* (per militem Cæfareum) *in vincula conjiciendo vel deportando, ineunte conſilia?* Vide fubnexum Apologetico noftro Scholion. Eftne ille *Germanorum doctiſſimus*, qui exeunte Sextili CIↃ IↃC XLIV. Moguntinum Theologum, Vitum Erbermannum, provocavit, occafione mei, quam animofiffime Francofurtum ad difputandum, necdum verò adeft illic ipfemet, aut, quando fit adfuturus, fignificat, quantumvis jam fæpius ab laceffito & me juffus, non librum fcribere, fed adeffe; verùm, tempus extrahit, ut nunc inierit annus CIↃ IↃC XLVI? Si *Germanorum doctiſſimus* tam præclare fuum tutatur negotium Lutheranum, quid fperandum de Lutheranis aliis, non ita *Germanorum doctiſſimis*? Quan-

quam nulla calamitas sola. Ecce, etiam Simplicius Verinus (noverit hunc Salmasius) libro de Transsubstantiatione, pauculis ante finem pagellis, tentare bonum Calixtum nostrum æque occipit. *Hoc*, inquit, *argumento doctissimus Lutheranorum Doctor & Theologus adversus Reformatos utebatur. Aut probent, inquiebat, doctrinam suam in Scriptura contineri, aut fateantur, si id probare non possunt, inventum esse sui cerebri. Retorqueri melius & vividius id in illos telum potest. Aut probent nobis Scripturæ testimonio quod tradunt* (de consubstantiatione,) *aut concedant, suum esse commentum quod tradunt. Nam si ad literam accipiantur verba Christi, ut debere accipi contendunt, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent quam Lutheranæ.* de quo nos pluribus in Hypodigmate. Quorsum hoc? Ut, si tua interest, cures moneri tanto abs te decoratum titulo Calixtum, probet Simplicio Verino, quod probare tenetur: & probabit eo ipso, quod probare tenetur

netur nobis multò magis. probationem saltem unicam denegat Catholicis jam inde ab anno CIƆ IƆC XXXII; sed eos terrere Thrasonismis & maledictis tantummodo laboravit; existimans demum, Erbermannum turpiter deserturum causam Catholicam, ut ipse deserit suam Lutheranam. Summa est. Non sic agerem, si me solum excepisset quam indignissime, libris aliquot in publicum emissis. Per meum latus petiit Ecclesiam Catholicam ipsam: cui & hostiliter aliàs insultat jam inde ab anno CIƆ IƆCXI. Hoc verò pati nequeo. Hinc est, quod cum Anachoreta, geniorum Tartareorum infestationes eludente, dico: Vexantes me vexo. Vexatio utinam Calixto det intellectum. neque enim quæro compensare malo malum, sed bono. Salve, mi Bartholine, ex viro integro, salutisque tuæ, & perillustris viri Salmasii, immo & Calixti, amantissimo; ingressuro diebus abhinc XXXI, annum ætatis LVIII; nec Mathusalam equidem supera-

operaturo. Salve iterum; atque, ut homo non tetricus sed affabilis & amabilis, in meliorem, obsecro, partem accipe, quæ damus, omnia. VII. Januarii cIↃ IↃc XLVII.

EX LITERIS JOANNIS MORINI

Ad Nihusium, de ANTICRITICO ejus, datis Lutetiâ Parisiorum, Idib. Februar. cIↃ IↃc XLIV.

PErdoctam lucubrationem tuam de Cruce D. N. Jesu Christi, illique adjunctas adnotationes, attentè non semel legi. Si fas cœco ϗ χιδιάζοντι de coloribus judicium ferre; quod mihi, tua legenti, in buccam venit, ut coram familiari amico, effutiam. Mihi videtur ex loco Tertulliani, cap. XII. libri ad nationes, nihil in neutram partem posse colligi. Obscura sunt verba, & quidvis potius, quàm palum, cui Salvator quasi inequitaverit, significant. Sed Sancti Justinus & Irenæus palum eum, aut quid

quid simile, quod sedis in cruce vicem sustinuerit, credidisse & docuisse videntur. Gregorius vero Turonensis ὑποπόδιον pedibus Christi evidenter supponit; quem sequuntur multæ crucifixi Domini nostri imagines, à te commemoratæ, atque aliæ etiam ab aliis. Neutri tamen sententiæ planè assentiri possum. Obstant oculati sanctæ Crucis testes, quique ab oculatis audierunt. Hi trium tantum lignorum meminerunt, erecti, transversi, & tituli. Figuram crucis adeo exacte describunt Cyrillus Hierosolymitanus; Ambrosius, Paulinus, Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & alii; singulas inventionis ejus circumstantias enarrant. Quamobrem apud eos pali istius aut ligni suppedanei, si fuit aliquod, tantum silentium? lignum erat utrumque commemoratione & commendatione dignissimum, quum Dei sanguine fuerit cruentatum, & ei fuerit adjumento, conquerenti, hominum nullum sibi adjutorem adesse. Denique, si quid ejusmodi in cruce fuit,

eodem cum cruce loco defossum fuit. Ex Judæorum enim traditione habetur, instrumenta omnia, quibus supplicium reo illatum est, subter supplicii locum esse condenda. Ita tradit Moses ille Cordubensis apud Judæos celeberrimus, in magno opere suo, quod inscripsit, Manus fortis, tract. Sanhedrim cap. XV, num. IX. & commentario in Misnaioth, librum Judæorum antiquissimum, totiusque eorum Juris & traditionis fundamentum, eodem tractatu, in fine cap. seu sectionis VI. & ipsi Misnaioth in eodem tractatu cap. VI. num. V, & VI, & Ghemara sive Talmudici Doctores initio cap. VI, postque illos innumeri. Hac traditione freti Christiani, ingentem terræ molem, loco supplicii aggestam, egesserunt, crucemque cum titulo invenerunt. Quidni & palum vel suppedaneum lignum, titulo longè sanctius & commendabilius? aut si alterutrum inventum est, quis nobis rationem edisseret, qua commoti tot Patres oculati testes nos

de

de tanti thesauri inventione non admonuerunt? Huc facit, quod solidissime probas, corpus crucifixum nec sedili illo nec suppedaneo ligno, ut in cruce sustentetur, opus habere. σχεδίασμα hoc censuræ tuæ lubens submitto.

JOANNIS CARAMUELIS LOBKOWITII

Literæ, ad Nihusium datæ, VIII Iunii CIↃ IↃC LXIV.

HOminum nativa pluralitas vix esset tolerabilis, ni amicitiæ fœdere ad unitatem revocata. Hoc quidem magni facio. & quia sapientum fœdus, non insipide, ut opinor, in duas distinguo classes; habeo amicos quæsitus, & quæsitos. Dignus fui, ut haberem, quos quæsivi; lapideus enim esset, qui non redamaret amantem, & colentem recoleret: at illis, qui me quæsiverunt, plus debeo; utpote electus, ante obsequia, ante

ante servitia; ut verbo dicam, nondum dignus. Tuum nomen, mi Nihusi, venerabar; non tamen personam interpellare ausus; an meæ literæ tibi futuræ gratæ aut ingratæ essent, ignorans: unusquisque enim sibi putat reliquos similes; & quales alios ipse censet, censeri timet. Literæ, multorum opinione elegantes, mihi irrationales & stupidæ nonnunquam visæ; sunt enim mentis humanæ imagines; & phaleræ non debentur mentibus, sed acumina. Pegasus, tametsi superbe phaleratus, à Bucephalo differt numero, non specie; excurrit, non discurrit; plumis aërem verberat, non tamen tabulas mentis describit: &, si vel linguam moveat, hinniet omnino, cum putabitur eloquuturus. Quàm libenter tuas ego, quam avide libellum illum tuum percurrerim, vix significare sufficio. Sincerè dicam; te secundò audii, ne tam cito finires. Magni facio illum argutum & torosum scribendi modum; magni etiam facient, ut existimo, antagonistæ

tui,

tui, tuam virtutem experti. Cæterum, veteris moris conceptibus assuetus, juniorem non facilè amplector, ne chamæleontis instar vertar & alterer à quavis aura: & in Christi historia communem sententiam non deseram, quousque demonstretur contraria. Antiquas novasque ubique cruces duplici ligno, orthogonaliter incidente, titulum sustinentes suspicio; & quia difformes, raræ omnino, meâ sententiâ, ipsæ; non veri, sed à curiosis hominibus concepti, sunt imagines. Quatuor clavos & suppedaneum nonnunquam, at vehiculum, quod comminiscuntur, nunquam vidimus. Propria, quæ oculis occurrunt, recensebo. In Ecclesia mea Disenbergensi, ante chorum in Epistolæ latere, duo sunt antiquissima altaria; in utroq; Crucifixus, in altero pictus, in altero ex dulci lapide arte statuaria factus. Illum suppedaneo & clavis quatuor donavit penicillus; huic illud & hos cœlum negavit. In parochiali Sobernheimensi, mihi etiam subditâ, æreum Crucifixum reperio, & quatuor

quatuor clavos. Sed hæ figuræ raræ omnino; quia communes non nisi ternos habent. Imaginem Crucifixi, Regi Emanueli missam, non vidi; sed operam dabo ut exscribatur, si vel in Oratorio vel thesauro Vlyssiponensi reperiatur. Sanè, Christi crucem habuisse suppedaneum, non puto; vehiculo deformatam non credo: existimo tamen, fuisse magnam; nam & homines illa ætate majores, & Christus inter sui temporis viros procerus. In Disenbergensis Ecclesiæ muro exteriori, meridiem respiciente, characteribus antiquis legitur, LONGITVDO CHRISTI; & subsculpitur linea, cujus sequens

---

est quadragesima octava pars. Sanè, si vera, haberet Christus Dominus undecim nostros pedes mortuus, decem aut amplius vivus; fuissetque omnino æqualis B. Bernardo de Alcira; cujus sceleton, ut à multis audivi, occupat decem pedes. Sed hæc ipsa refero, non trado;

trado; cautus enim omnino ſum aſſerere ut certum, quod ſolide probare non poſſum. Palmas Chriſti medias clavis transfixas, cum decrepitâ opinione ſuſtinui olim Antverpiæ contra Petrum Paulum Rubenium, virum toti orbi Chriſtiano à penicillo notum; in quo tot dotes & facultates ſimul, ut pictoria, tametſi ad miraculum magna, videatur pygmæa, cum reliquis ſcientiis collata. In ea ſententia ipſe, ut crederet, palmæ vires corpori ſuſtentando eſſe impares; & idcirco Chriſtum Dominum incepit aliter adpingere, populo reclamante. Sed ego ipſi & amicis oſtendi, humani corporis, aëre libero pendentis, pondus eſſe omnino quadruplum illius, quod habet idem corpus, ſi inſiſtat pedibus, & genua libere inflecti permittat: adeoque non eſſe timendum manui vel teneræ, ne corporis pondere diſcerpatur: Chriſto enim transfixi erant pedes, extenſa brachia, & vix inflexa genua. Tu quidem, doctiſſime vir, liber es, aut communi viæ inſiſtas, aut exorbites;

bites; me habebis amicum, non tamen ubicunque comitem; tanti enim communem doctrinam facio, ut ab ea non discedam, nisi prævia aliqua demonstratione. Ut Christianæ crucis figuram vener, non adibo gentilium ritus; scio enim, apud ipsos etiam quaternis alios, alios clavis octonis, cruci adfixos; & tamen ab adversario fidei Catholicæ deriderer, si vellem Christianam clavorum supellectilem ita multiplicare, ut Jesum sex aut octo crucifixum assererem. adibo tamen ad communes Ecclesiarum imagines, quæ simplicissimæ sunt, nec suppedaneum nec vehiculum nec quartum clavum habent: illa enim omnia, quæ in præscripta possessione fundantur, non debent conjecturis & opinionibus incertis cedere. Hæc homini, iter agenti, politica negotia tractanti, omnique librorum apparatu ad tempus carenti, de Christi cruce occurrebant. Dabitur tempus, ut eadem, te jubente, resumam, & eruditioribus pigmentis colorem.

Tu

Tu interim libere loquentis teſtimonio etiam libere utitor; Deoque, cui ſervimus, me remiſſum & deſidem, intenſe & inſtanter commenda, Vale; & diligere perge

addictiſſimum tibi tuum

Joannem Caramuel Lobkowitz, Abbatem Diſenbergenſem & Melroſenſem.

Nico-

NICOLAI FONTANI
RESPONSVM
AD PROPOSITAM
SIBI
QVÆSTIONEM,

An manus, clavis transfixæ, pares ferendo corpori, inde pendulo.

PRÆNOBILIS AMPLISSIMEQVE DOMINE, JOANNES JACOBE CHIFFLETI, EQVES, & ARCHIATER REGIÆ.

Percrebuit, moliri te opus insigne de Cruce, & structura ejus. Colunt eruditi te pridem: at nunc adorant per me penitus omnes, inclinatissimi. Dicamne amplius quid? Orant itidem uno ore, desiderium suum, ita inde accensum, æstuantissimumque, explere ne cuncteris. Beabis profectò genus istud hominum; cumprimis verò Fontanum *tuum. Quod & rependet, sine dubio, liberalissimè tibi* CRVCIFIXVS DOMINVS. *Vale, vir excellentissime.*

NICOLAVS FONTANVS.

NICOLAI FONTANI
RESPONSUM
ad propoſitam ſibi Quæſtionem.

CLariſſime Vir. Excitatur à te quæſtio, & gravis, & ventilata antè, quod ſciam, à nemine. Agnoſco ſanè meam exilitatem. Solicitanti tamen uſque adeo benevolè tibi obtemperabo: ſed verecundè: quippe tentaturus tantùm paucis nunc & patientiam tuam & ſimul judicia doctiſſimorum plurium. Rectiùs enim ſic fieri puto, quàm ſi effundam ſtatim, quæ conceperam, animi ſenſa omnia.

II. Quæris, an manus, quæ diſpeſſæ longiùs, claviſque craſſioribus transfixæ, dehiſcere neceſſum ſit, quum pendeat inde, ſine ſuſtentaculo alio, corpus reliquum.

III. Animadverto facilè quorſum tendas. Sunt enim, qui negant, SALVATOREM noſtrum pendere in Cruce potuiſſe abſque pegmate ſuppedaneo.

Sunt &, qui neceſſarium ei potiùs fuiſſe ajunt palum, ſtipiti Crucis arrectario inſertum, quo veheretur totum corpus; ut eques equo vehitur, cruribus hinc inde pendulis.

IV. Non diſputabo, an certò CHRISTUS habuerit ſuppedaneum ſcabellum, aut, inter femora, vehiculum ejuſmodi. Niſi quod intactum prætergredi Johannem Michaëlem Dilherrum nequeo, illic ubi palum hunc, ſeu ſedile autumat fuiſſe ita acutum, ut SALVATOREM cruciaverit ab ea quoque parte graviter. Quonam verò hic nixus teſte? Eodem prorſus illo, cui fidem ipſe quoque habet, ſcribenti dicentive, bajulatam ex urbe Jeruſalem à MESSIA, non Crucem totam, ſed ſolam ejus antennam. Id eſt, nullo. Mecænatis adfert verſiculos quidem, & epiſtolam Senecæ, ubi mentio *ſedentis acutâ cruce*. At (præterquam quod, ſi JESUS inſediſſet palo, neceſſum non ſit hunc fuiſſe ſic acutum,) ubinam, obſecro, ſcriptum, *ſedere acutâ cruce* idem eſſe

quod

quod acuto ejuſmodi palo inequitare? Nuſquam. Et verò ſecus acceperunt quoque viri docti phraſin eam ſemper. Utpote quibus Crux, alia ſimplex, alia compoſita: &, ſicuti compoſitam diſpeſcunt in immiſſam,




& commiſſam, eamque viciſſim in decuſſatam, ſeu Andreanam



& ere-

& erectam illam, quæ à JESU NAZARENO, Meſſia noſtro, nobilitata, ✝; (qua de re, quis eſt, qui non legerit Lipſium, Gretſerum, Boſium, aut ſimiles quoque alios?) & fieri poteſt, ut, poſt Apoſtolorum tempora, Romani, quum nomen CHRISTO necdum dediſſent, interdum etiam, tum in Italia tum extra eam, inſeruerint perforato antè ligno arrectario palum, qui in ſedile eſſet quibuſdam cruciariis, ſive relinquendum tunc ibi, ſive mox auferendum atque affixi illi, (quum videlicet affigerentur, non humi quidem ſeu ſupini, quod haud rarò factum, ſed in ſublimi;)



ita Crux ea ſimplex, ad mentem eorundem, alia obtuſa ſuperiùs, (cui nempe affigebantur manus pedeſque, vel uſtulandi ſagittiſve aut lanceis interimendi alligabantur;) alia acuta, quia cuſpidem habens, ſive ferratam ſive nudam; tranſadactam cruciario per ſeſſum, ut emineret ſurſum, non ex ore quidem, ut pingitur apud Lipſium, ſed ex humero.



Adeoque Cruce hac ſuffixum hærere, (ob ſtipitis videlicet pedem, ſi non obice interpoſito diremtum à parte altiore, ſaltem craſſiorem; vel ob muſculos etiam, ſubtus ac ſupra, oſſibus arctè cinctos, cum ventris infimi & medii viſceribus omnibus, eidem ſtipiti ſtrictiſſimè pertinaciſſiméque inhæreſcentes,) nec in terram proruere, eſt ipſis *acuta cruce ſedere*. Nec equidem video, cur huic ſententiæ, in ſolius gratiam Dilherri, & ſimilium, dicentium, at nihil probantium, valedicam: præſertim, quum nec verbum *ſedere* accipiatur ſemper, quemadmodum ab ipſo accipitur. Ut miſſum faciam, ſupparum forſan, quo tectus DOMINUS fuerit, inter femora convolutum, præbuiſſe ei quendam quaſi pulvinum, ne ab acie pali multùm ſcinderetur, ſi palus quidem iſtiuſmodì acutus ipſi erat ſubditus. Quibus de rebus viderint, ad quos pertinet. Nihil enim hîc ad me, ut dixi, fulcrum illud ſuppedaneum, & palus,

 an-

antrorſum exſtans è medio ſtipitis arrectarii.

V. Id ſolùm affirmo; ne ob molem quidem corporis neceſſum fuiſſe, ut affigerentur pedes, ſive juncti, & ſic unico clavo, ſive ſeorſim ſinguli, & ſic duobus; (neque enim hi tunc bajuli, niſi crurum, uſque ad genua; utpote quibus arrectario ligno non alligatis, totum decideret inverſumque pendere à pedibus occiperet corpus reliquum, ſi, premente hujus pondere, dilacerarentur manus; unde & SALVATORI pedes transfixi potiſſimùm ideo, ut cruciaretur ipſe adhuc diriùs; ex quo nempe pedum dolor iſte longè etiam acerbior, quàm eſt manuum;) multò minùs itaque fuiſſe neceſſariam tabellam ſuppedaneam, aut palum quoque illiuſcemodi. Quare? Quia, ſicuti, abſque tali fulcro, ſoli ſufficiunt pedes, pendente ab his corpore, (ut in S. Petro aliiſque, capite demiſſo crucifixis, videre fuit,) ita ſufficiunt & manus, utut pedibus haud parum de-

debiliores : idque, si clavus uterque etiam penetret ipsum volæ utriusque (hoc est, vel in cerebri linea, vel certè inter hanc & lineam vitæ,) seu metacarpi centrum : unde tunc pronum est colligere, quò versus carpum propiùs perforatæ fuerint manus, eò sufficere illas magis.

VI. Unde verò id scio? Quia comprobat hanc rem nobis experientia fortissimè prorsus luculentissiméque. Constat mihi enim liquidò, tentatum ab Anatomicis istud in humanis cadaveribus, & omnino, sicut dixi, deprehensum esse. Unde & adeo certus sum, ut adseverare non dubitem, idem dicturos mecum, quicunque tentare idem illud, permissu superiorum, ausi pari modo fuerint: idque, licèt in manus inciderint non ita induratas exterius interiusque, ut erant SALVATORIS nostri manus, quandoquidem is fabrum lignarium egit ad ætatis annum trigesimum usque, & quidem, ut S. Justinus Martyr ait, aratra & juga


 boum

boum confecerit; quæ durities nec postea cessantem à labore manum deserit; quemadmodum ipsemet in quibusdam observavi. Ita ut opus haud sit inquirere, annon, extra Christianorum ditiones, alicubi gentes barbaræ capitis apud sese reos cruci affigant eum in modum, unde perspicere sit, verine an falsi ego assertor.

VII. Et boni tamen viri, quos dixi, affirmant audacissimè, juxta cum Norimbergensi Dilherro; laceratum iri manus à mole corporis, ipsas gravante. Expertine? Nihil minus. Rationibus igitur suffulti, sumtis è doctrina anatomica? Ne quidem inquisierunt unquam in manuum penitioria. Præsupponunt solummodo, (quia ipsis ita lubitum,) nihil intus in manibus esse firmius tenaciusque, quàm est pellis extima, sive callosa, sive calli prorsus nescia. At Anatomici, sicuti experientiâ sensuali magistrâ, ut audivimus, docti sunt contrarium; ita, secundùm eosdem, postquam nempe explorarunt

atque

atque perveſtigarunt ad artis ſuæ præſcriptum omnia; clavus, infixus medio volæ, manumque perforans, tranſit ordine multas ejus partes; quarum ſingulæ validæ & robuſtæ ſatis ſunt; quæque, ſimul junctæ, per mutuum contextum, ſe invicem egregiè firmant ac fulciunt, ne, ſuſpenſo inde corpore, dilanientur. Hæ ſunt, cutis, (quæ caro nervea,) membrana carnoſa, muſculus palmaris, latus tendo, ligamentum volæ tenaciſſimum, muſculi rotundi quatuor connexi, muſculi lumbricales, oſſa metacarpi, vinculis colligata, muſculi interoſſei; ab externa verò parte ſeu dorſo manûs, tendinoſa pars, quæ tendines rectos comitatur, iiſque connectitur, & cute tegitur: ut miſſas faciamus venas & arterias, nonnihil quoque membranaceas.


G
A
H
P
P
M
R
I

C *Palmaris musculus, extra suum situm elevatus, ut ejus interna facies inspiciatur.*

EEEE *Quatuor rotundi tendines, qui usque ad primum digitorum os detecti sunt, in suo situ.*

FFFF *Quatuor lumbricales musculi.*

gggg *Quatuor tendines, flectentes tertium digitorum internodium, sub tendinibus musculi, secundum os flectentis, locati.*

H *Parvus ille musculus lati tendinis palmaris musculi (C), externo lateri adnatus, hîc ab ipso resectus est, & extra situm locatus; hæret tamen adhuc ligamento volæ manus (A), à quo originem duxit.*

A *Ligamentum volæ manus, tendines digitorum, hoc loco, maximè firmans.*

I *Ligamentum annulare internum carpi.*

M *Tendo flexoris tertii pollicis internodii, adhuc latentis.*

PP *Musculi duo, pollicem flectentes.*
q *Musculus, parvulum digitum abducens, ex parte conspicuus.*
R *Musculus, pollicem abducens.*

Hæc, inquam, si scrutati nonnihil illi, contra quos agimus, fuissent, vel scrutatos consulere, aut saltem Anatomicorum tabulas inspicere, voluissent; non utique pronunciassent ita temerè, manus facilè esse scissiles in longitudinem, & quidem in homine etiam vivo, qui à spiritibus vitalibus atque animalibus, quia igneis, non solùm levior mortuo, sed & sic leviore adhuc leviorem reddere se utique valet, quum, animum elevando ut minuat gravedinem corporis, adnititur. Sicuti & ex Anatomices neglectu pariter provenit, quod contendunt pariter, quò corpus applicetur tunc stipiti arctiùs, eò prorsum id ruere pronius. Firmiter enim adhærentibus ligno transverso manibus, contrà potiùs fiet; idque ob musculos flexores robustissimos, utrumque tum cubitum tum integrum

grum brachium ita ſemper trahentes naturâ ſuâ antrorſum, ut brachia cum humeris inde quaſi arcum quendam conficiant: quis autem arcum dixerit, ſupini ipſius extremitatibus unà ad parietem adpreſſis, ab eo reſiliturum? Quod, obiter quidem hîc annotatum, ad quæſtionem tamen præſentem quodammodo etiam pertinet; cum nempe cubitorum ac brachiorum tendines illi, dum ſic antrorſum feruntur, humeros ad ſtipitem crucis retrahendo, ſuccurrant aliquantum quoque, in ſuſtinendâ corporis mole, manibus, ita, ut dictum eſt, fixis; & à ſtatuariis itidem pictoribuſque obſervati merentur.

VIII. Adeoque iſta, ad refellendum eoſdem, decidendamque quæſtionem, quæ nobis allata, ſatis, ni fallor, forent. Viſne paulò plura tamen? Subjungam lubens, quæ occurrent. Omitto, pependiſſe Martyres interdum ſolis capillis, (quale quid & Abſolomo contigiſſe, neſcio cur exi-

existiment aliqui, cùm in sacris literis non exprimatur id, sed ibi tantum dicatur *adhæsisse caput ejus quercui,*) ac solis interdum pollicibus manuum, (quod vel Gallonius docere poterit;) sicuti & suspensos intelleximus nonnullos aliquando solis pollicibus pedum. Quibus addere liceret, subjectos quæstioni alios pependisse pollice unico, alios unico digito medio. Quis verò non videat, majus inesse robur iis, quæ munierunt manum, clavo trajectam, in casu illo, ut diximus, quàm est capillorum, nec non tendinum istorum nervorumque pauculorum & exiguorum in pollice ac digito? Hæc, inquam, & similia relinquens, adferam potiùs alia, magis adhuc, ni fallor, proposito nostro convenientia.

IX. Zacharias Boverius, Capucinus, sui Ordinis annales evulgavit. Is, in anno MDCXII, vitam describens Josephi à Leonissa: *Cùm*, inquit, *F. Josephus divina charitatis flamma, qua ad martyrium pro Christi subeundum*

dum ferebatur, tanquam adjecto pabulo, in viro Dei quotidie magis excresceret; extremam tandem aleam jacere, sibi in animum inducit; ac Turcarum Imperatorem, ut eum à Mahometica lege exterreat, & ad Christianum Euangelium compellat, omni necis periculo posthabito, adire statuit. Quamobrem divina primùm orationis virtute armatus, ad regiam, post meridiem se confert; intrepidus aulam penetrat, primamque excubitorum custodiam dormientem offendens, ad secundam progreditur: in qua cum neminem adesse conspiceret, ad tertiam atque intimam pergit. Colludebant eo tempore illius cubiculi custodes; qui simul atque hominem sordidum, ignotum, & Christianum, ex verbis agnoscunt, mox apprehensum constringunt, è cubiculo expellunt, & carceri mancipant. Re interea ad judicem delata, tanquam læsæ majestatis reus, ad extremum unci supplicium damnatur. Est unci supplicium quoddam tormenti genus, quo ad necem damnati, hoc modo afficiuntur. Duo è patibulo unci velut harpagines,

quo-

quorum alter breviori, alter longiori catenæ affixi sunt, pedent. Qui igitur ad necem damnatus, cùm primùm ad patibulum pervenit, scalam, carnifice præeunte, conscendit; à quo dextra prius ipsius manus perforata, brevioris catenæ unco suspenditur: tum carnifex ad medios scalæ gradus descendens, unco, qui longiori è catena pendet, dextrum ejusdem talum inter posticum nervum & os tibiæ perfodiens, hoc modo appensum, ac fame necandum deserit. Josephus itaque triduo, absque cibo hoc modo uncis suspensus, è patibulo pependit. Ita, inquam, cum homine illo ibi actum. Imo usitatissimum idem istud unci supplicium esse apud Muhametanos, non Constantinopolitanos tantum, sed & Alepenses ac reliquos passim, retulit mihi, post alios, fide dignissimus vir & rerum illic omnium observator curiosissimus, qui aliquammultos in terris iis annos exegit.

Ecce



Ecce, volam solùm unicam transit uncus; nec diffinditur manus tamen, utut sustineat ipsa totum ferè corpus; uncus enim alter, nervum pedis tenens, nil, circiter, nisi molem crurum, portat. Quantò minus itaque diffindentur manus, quæ se invicem juvant? Neutra equidem earum tam grave onus tunc fert, quàm, in supplicio unci illo, altera unica; quod nemo inficias ibit, qui sibi quidem præsens fuerit. De eo autem præsertim casu loquimur, ubi crucifixi hominis capite superior paulum est antenna crucis.

X. Quod si necdum hæc satis; age, liberali manu experimenta porro tria suppeditabo. Hornæ, annis abhinc admodum pauculis, chirurgi famulus, depositurus è pertica, supra domus ingressum prætereuntibus conspicuâ, pelves barbitonsorias; delabente, cui insistebat, in terram scalâ; manum dextram, qua, ne & ipse unà rueret, adprehensurus perticam erat, inpegit imprudens in uncum ejusdem,

nec

nec transfixit manum eam tamen, ſed infixit, ſolummodo; & pependit nihilominus inde firmiter, nullo adminiculo alio ſublevatus; nec enim ſuccurrere ſiniſtra dextræ, vel etiam digitorum quiſquam, poterat: adeoque pependit ſatis diu; quòd, qui tranſibant, illuderent homini primitus, putantes, fingi ab ipſo, manum ſuam, retinaculo tali captam, hærere. Hoc memoravit mihi J. C. Hornanus, amicus meus integerrimus; & ſuppetunt ejuſdem rei teſtes adhuc alii plures. Viden, robur vel ſolius volæ, ſeu partium, eam conſtituentium, quantum ſit? Si illæ ſic ferendo ſunt corpus totum, quidni palma, penitus transfixa, utraque? Et, cùm uncus unicus, & quidem tenuis, non diſciderit manum unam, quantò minùs diſcindent clavi craſſi duo utramque?

XI. Amſtelredami verò, nec adeo pridem, adoleſcens, cùm expoſitum aëri atque expanſum pannum laneum deferre domum, imminente pluvia, feſti-

festinaret, tigni inferioris lubricitate pedem frustrante, pedendit ab superioris unco, itidem ferreo, sed solum eum tendinem, qui flexor pollicis est, complexo. Res certissima est, nobisque compertissima. Et nequaquam tamen tendo hic unicus ita est fortis ac tenax, ut vel latus ille cum ligamento, qui, adminiculante eodem, palmam volamve armat interiùs. Quantò minùs igitur dehiscet, clavo perfossa, manus utraque, pendulo inde corpore!

XII. Imò, sicuti me legere memini alicubi in historiis recentioribus, moris fuisse apud barbaros quosdam, ut, pœnitentiæ exsolvendæ ergo, transfixi solam in dorso pellem, atque à sacrificulo elevati, aliquamdiu inde penderent; ita idem ille, à quo terras orientales diu habitatas multumque lustratas dixi, confirmavit pariter mihi, visum illic sibi quendam ita supplicio affectum, ut, è sublimi dejectus in suppositum uncum, ab eodem unco, non tangente costam ullam, sed penetrante

so-

ſolam cutem circa hypochondria, vivus pependerit, & diu quidem, nec unquam deciderit, aut rumpi cutem iſtam fecerit. Cum igitur ſola cutis, tantillâ ſui parte, tam firma ſit ac tenax, nec vel deſuper labentis impetum corporis morata quidquam fuerit, quia nervea; cur non multò ſint firmiores robuſtioreſque manus, ope ſibi mutuâ, quemadmodum diximus, ſubvenientes?

XIII. CLARISSIME VIR. Oſtendi non nihil pro meo modulo, quam ſit valida compages manuum. Intelligis, opinor, errorem ſatis inconſultum eſſe, dicentium, fore, ut, corporis pondere gravatæ, diſſiliant. Adjiciamne, mantiſſæ loco, priuſquam deſinam, verbulum? Appende corpori ingens adhuc aliud pondus: immotum hoc itidem cum eodem pendens, neutram prorſus manum ulterius lacerabit; nedum ut è pendulo deciduum faciat. Ita, inquam, ſentio. Judicatu. Imò judicent & viri docti alii; ſed ita, ut in meliorem partem, unà tecum, in-

terpretentur minutum hoc & levidense Responsum nostrum, nec invideant luci publicæ, si quid noverunt rectius istis. Ego, ne pluribus tibi molestus in præsentia sim, CRUCIFIXO DOMINO, cui militare nos par est ante omnia, commendans te tuosque omnes,

FINIO.

IN-

INDEX

Sive

Conſpectus Scriptorum quorum mentio in Bartholino, Nihuſio & Fontano.

A.

Brisso-

Euthy-

S. Johan-

Nico-

IN-

INDEX RERUM
in Hypomnematis contentarum.

A.

B.


C.

Cal-

In

N.

Nihu-



Ter-

FINIS.

78



